

HISTORIA
ATHEISMI,

breviter delineata,

à

JENKINO THOMASIO,

CAMBRO-BRITANNO.

Cui accedit

SAMVELIS CLARK

TRACTATVS EXIMIVS

De

EXISTENTIA ET
ATTRIBVTIS DEI,

CONTRA

SPINOSAM ATQVE HOBBESIVM,

Anglice conscriptus, jam autem Latine redditus.



CVM PRAEFATIONE

CHRISTIANI GOTLIB. SCHUVARZII,

in Academia Altorfina Professoris Publici.

ALTORFI NORICORVM,
Apud JOD. GVIL. KOHLESIVM,
ACAD. TYPOGR. cIↄ Iↄccxiii.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

FRIDERICO

PIO FELICI AVGVSTO
REGI BORVSSIAE
MARCHIONI BBANDENBVRGICO
S. R. I. ARCHICAMERARIO
ET ELECTORI
SVPREMO PRINCIPI ARAVSIONENSI
AC NEOCASTRENSI MAGDEBVRGI CLIVIAE JV-
LIACI MONTIVM STETINI POMERANIAE CASSV-
BIORVM VINIDORVM MECKLENBVRGI ET IN
SILESIA CROSNAE
DVCI
BVRGRAVIO NORIMBERGENSI
HALBERSTADII MINDAE CAMINI VANDALIAE
SVERINI RACEBVRGI ET MEVRSAE
PRINCIPI
COMITI HOHENZOLLERAE MAR-
CHAE RAVENSBERGAE HOHENSTEINI TECKLEN-
BVRGI LINGAE SVERINI BVRAE LEERDAMI
MARCHIONI VEHRAE ET VLISSINGAE
DYNASTAE IN RAVENSTEIN TERRISQVE ROSTO-
CHII STARGARDAE IN LAVENBVRG BVTOVV
ARLAY ET BREDA CETERA

PRINCIPI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.

REX AVGVSTE
ATQVE
POTENTISSIME,
DOMINE MVLTO CLEMENTISSIME,

CVm Magni REGES Divinitatis expressiora sint simulacra, Ejusque vicem gerant in terris; prophanus viderer, si Majestatis TVAE splendorem, quantocunque

cunque possim cultu, non prosequerer, demississimeque venerarer. Equidem, aliam nunc viam haud noveram, qua pietatis meæ religionem & venerabundi animi officia, sensus, atque cogitationes, efficacius & clarius aliis patefacerem, quam si hunc libellum patrocinio TVAE Majestatis ea qua par est submissione offerrem; et me ipsum clementiæ Regiæ publicis scriptis veneratione plenissimis, commendare conarer. Neque opusculi parvitas, & ingenii mei tenuitas, neque conscribendi genus incultum, absterrent me ab hoc proposito; cum, uti DEVS Optimus Maximus, ita Potentissimi PRINCIPES ex animo offerentium, omnia sibi oblata, metiri dignentur. Nam, si aliter res se haberet; neque ipsis hominibus summo loco natis ad DEVM, neque inferiore loco positis, ad Magnos Reges, ullus plane pateret aditus. Nam quis, quæso, reperiat, quod in Potentissimi REGIS summum ingenium subactissimumque judicium, & magnam in ista purpura eruditionem conveniat? Nihilominus tamen, quæ incomparabilis

TVA in omnes homines bonitas est; hunc ingenii fœtum, neque TIBI prorsus ingratum, neque a Regia dignitate alienum esse confido. Nam Viri Principes non modo Alexandri Magni, Titi Vespasiani Cæsaris; sed & Neronis, Cæsaris Borgiæ, & Alexandri Sexti, Romani Pontificis, historiam evolvunt, ut & illos cognoscant homines, qui impio ausu, nec ulla vera pietate, inclaruerunt; vt eo magis sectentur virtutem, atque abhorreant a malo. Quo certe consilio, istorum hominum ego composui historiam, qui publice de Regum Rege Omnipotenti atque æterno, Triuno DEO, male senserunt; quorum effata impia si unquam valerent, omnem rerum humanarum ordinem inverterent, et ipsum mundum una communi strage sepelirent. Sed non est hujus epistolæ institutum ingeminare bonorum omnium querelas, de hujusmodi hominibus supra sortem humanam fere sceleratis. Id potius DEO acceptum grato animo referimus, existere bonos & vigilantissimos providentissimosq; Principes, quibus cordi sit Religio atque pietas;

tas;

tas ; & qui non modo condant leges adversus Divini Numinis contemptores, sed etiam ut eædem valeant, diligenter severeque curent. Quos inter, vel primæ partes TIBI, REX POTENTISSIME, consentientibus populorum judiciis, merito deferuntur. Vale, REX Pientissime, quam felicissime & diutissime Ecclesiæ, Imperio, Patriæ, & bonis omnibus! Ita voveo, ita DEVM religiosissime veneror:

REGIAE MAIESTATI TVAE,
DOMINE MVLTO CLEMENTISSIME,

devotissimus

JENKIN THOMAS.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

CHRISTIAN. GOTL. SCHVVARZIVS,


PROF. PVBL.

Diuinae pariter atque humanae sapientiae primum ac summum caput est, vocibus animisque consentientibus profiteri, esse DEVM, a quo omnia sint facta et constituta, et cuius nutu res conditae nullo non tempore regantur atque moveantur. Cuius veritatis tanta vis est, tantumque lumen, vt, fatente Tullio, ne hominis quidem nomine dignus sit, qui tanti operis effectorem neget, eaque casu fieri dicat, quae, quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possimus. Nihilominus extiterunt identidem tam impii atque temerarii mortales, qui vel cum Protagora dubitarunt, an DEVS sit? vel, cum Diagora Melio & Theodoro Cyrenaico, omnem DEI naturam hominumque religionem aperte sustulerunt. Quibus sublatis, cum non possit non maxima perturbatio vitae rerumque omnium confusio sequi; praeclare de societate humani generis me-

merentur, qui eiusmodi impietatem immanitatemque omni ſtudio reprimunt, ac publicis priuatisque ſcriptis confutant. Equidem ſunt nonnulli, qui ſupervacuum eſſe putent, operoſius probare, eſſe DEVM, qui noſtrarum rerum habeat procurationem; propterea quod homini rationis compoti vix vnquam ſerio in mentem venire queat, de tam evidenti veritate dubitare. Alii nefandas huius generis improborum hominum ſententias librosque ſupprimi ſatius ducunt, quam publice redargui refellique; neſcio quid periculi metuentes, ne forte animi quorundam nondum ratione confirmati, cognitis impiorum ratiunculis, a religionis ſenſu auferantur. Sed nulla opera eſt ſuperuacua, quae in vindicanda DEI immortalis maieſtate, amplificandoque ſummi Numinis honore, verſatur. Retegenda potius et conuincenda eſt foeditas tantae impietatis, vt, quam vana et execranda ea ſit, intelligatur, et ne ſtolidisſimi mortalium ſibi ſoli ſapere videantur. Conſtituendae ſunt certae notae, vt cognoſcantur omnis religionis omnisque honeſtatis hoſtes infenſiſſimi. Denique, praemuniendae ſunt bonae mentes praeſidiis idoneis, ne qua argu-

mentorum specie de sua se pietate deiici patiantur. Qua in re praeter ceteros egregiam nauauit operam Vir Cl. SAMVEL CLERICVS, *Britannus, qui pro acris iudicii sui facultate, post tantam scriptorum copiam, non nisi validissimis selectissimisque rationibus vsus, sapientissimum huius mundi architectum et moderatorem ex natura inuestigandum cognoscendumque ostendit, et simul prostrauit malesanas Spinosae aliorumque obtrectationes, qui ingenii sui viribus in labefactanda naturali hominum religione eousque abusi sunt, vt vix vlla aetas impietatem viderit ingeniosiorem. Vt vero eximius ille Clerici libellus in plurium manus veniret, eum pro singulari industria sua Latinum fecit, typisque apud nos exscribendum curauit, itemque adiecta luculenta* Atheismi Historia, *qua hucusque fere caruimus, locupletauit Vir eruditionis et virtutum meritis laudatissimus,* D. IENKINVS THOMASIVS, *Cambro-Britannus. Nihil attinet, hoc praeclarum eius institutum, cuius vtilitas per se patet, in praesenti copiosius commendare. Fruere, Lector beneuole, hoc labore integerrimi doctissimique Viri; cui ea a* DEO *Optimo Maximo fata mecum apprecceris, quae modestia eius, probitas, et doctrina multo studio diuturnisque peregrinationibus parta, dudum promerentur. Vale. Scrib. Altorfii Noricorum, mense Ianuario, A. R. S.* cIↄ Iↄ c c x i i i.

DIA-



DIATRIBE
HISTORICO-PHILOSOPHICA
DE
ATHEISMO,
SIVE
HISTORIA ATHEISMI.

CAPUT I.

§. I.



Ire placuit Viris doctis omni tempore ea ratio Controversias tractandi, quæ iis subjungit earum Historiam, quippe quæ plurimum commodi secum ferre creditur. Videmus enim scriptorum indolem, vivendi modum, conditionem atque captum illius temporis, quo vixerunt; quales denique habuerint adversarios, aliasque circumstantias, quæ simul ignorantiam Le-

ctoris

ctoris & omne tædium & lassitudinem tollunt. Inde est, quod illi libri, qui de ortu & progressu alicujus sectæ vel hæreseos agunt, semper in magno pretio sint habiti: Pelagianismi puta a G. I. Vossio conscriptus liber, vel hujus generis alii multo recentiores, ex. gr. Arminianismus, Jansenismus, Quakerismus & Quietismus, habuerunt suos singuli historiographos. Ideoque nemo, quemadmodum spero, mihi vitio vertet, si hæreseos maxime omnium detestandæ historiam diligenter pro viribus contexam.

§. 2. Sed ab initio est ordiendum, ut demonstremus, & rationibus, & auctoritate Eruditorum, revera dari posse tales homines, qui sibi persuadeant, nullum esse supremum Numen, (vel, ut cum Theologis loquar,) dari Atheos speculativos, contra sententiam vulgo receptam, quæ asserit, nullum posse dari Atheum proprie ita dictum, quia hæc propositio: *Deus est*, cordibus hominum inscripta: quæ quidem, ut in Atheis practicis, sepeliri; sed nullo pacto deleri possit. Quod si vero Theologi bene attenderent, doctrinam de *Ideis innatis*, neque sanæ rationi, neque experientiæ, neque

que revelationi innixam; non esset, quod ita metuerent concedere, Atheos speculativos aliquando dari. Innititur potius hæc sententia Platonicorum decretis, statuentium, æternas esse animas, & nihil addiscere de novo, sed reminisci. Matthæus Palmerius, Italus, non multum abhorruit a sententia Platonis, cum statueret, animas esse Angelos, qui neque ad bonum, neque ad malum sese determinare voluerint, quamobrem Deus amandaverit eas in corpora, ut aut bono aut malo sese addicerent. Si qua sint hujusmodi principia innata, in infantibus utpote nullo vitio acquisito aut præjudicio infecta, maxime vigere debent; sed hic contrarium videmus. Infantes enim per aliquot continuos menses præter sensum doloris atque voluptatis, caloris atque frigoris, vel ejus generis perceptiones alias, paucissimas existimantur possidere ideas; posthæc vero, cum organa magis sunt firma, versando cum multiplicis generis objectis, diuturnitate temporis, infinitis fere rerum ideis locupletant animum, atque ex his ratiocinando, formant sibi qualemcunque Dei Ideam. Huc

per-

pertinent Stephani Ezekii in libro *prima veritas defensa* p. 210. *Naturalem Dei cognitionem acriter propugnarunt reformatores superiori seculo, contenti eam & ex scriptura docere, nativo hominem corrupti intellectus lumine, posse Deum cognoscere, si velit opera ejus contemplari, teste Paulo* ad Rom. c. I. *at de idea Dei innata, aut acquisita, quod sciam, non inter se certarunt. Interea si intelligat per innatam ideam, ipsam actualem Dei cognitionem, prout res postulat; non video quo pacto extra erroris alam hareat Reformatorum doctrina, hominem ab ipso ortu, non actu cognoscere, sed posse Deum cognoscere; Secus enim prasidium ingens in innata illa idea, inveniet gentilium idololatria, quali idololatra, semper crepante suam de multis Numinibus ratione idealis existentia opinionem. Ad hac, cum cognitio Dei sit naturalis homini, & cunctis insit eadem cognoscendi potentia per naturam; non video, quo pacto conciliari possit cum naturali lumine illa idearum varietas, & diversitas. Socrate non nisi unum agnoscente Numen adorabile, ut testatur August. lib. de* Doctrina Christiana *cap. 2.*

cap.2. & reliqua gentili plebecula colente, juxta actum cognitionis, tot Numina, quot cultum sibi poscere falso judicat & acriter tuetur. Quod velim, Doctissime D. facile vides, sentire & loqui cum Scriptura tutissimum. Sed ne quando Lector hisce ratiocinationibus parum videatur contentus, paragraphos aliquot integros ex libro Johannis Lockii de *Intellectu Humano* describere proposui, ubi de *Origine Idearum*, hoc modo differit: *Cum quilibet sibi conscius sit, se cogitare, quodque illud, circa quod cogitando versatur, sint ideæ, quæ in mente sunt; & extra dubium est, esse in animis hominum varias, id genus sunt, quæ exprimuntur per voces*, albedinem, duritiem, dulcedinem, cogitationem, motum, hominem, elephantem, exercitum, ebrietatem *& alias: primo igitur quærendum est, unde oriantur?*

Scio veterem & communem esse opinionem, insitas esse, in illorum ortu, & in animis hominum naturales quasdam ideas, *seu rerum characteres inesse. Sententiam hanc fusius antea examinavi; nec dubito, quin, quod in superiore libello a me dictum erat,*

fidem

fidem facile reperiat, cum demonstravero, unde intellectus omnes istas, quibus praeditus, ideas adipiscatur, & quibus modis gradibusque mentem subire possint: atque in hac re ad uniuscujusque animadversionem & experientiam provocabo.

Supponimus igitur, mentem esse, prout vulgo dicimus, instar tabulae rasae, omnium characterum, idearum omnium expertem: Unde ingens ista idearum multitudo, quas negotiosa hominum phantasia, nullis conclusa limitibus, infinite propemodum in illo depinxit? Unde larga illa ipsa rationis & cognitionis supellex? Ad hoc uno verbo respondeo, ab experientia: in ea initium est & fundamentum omnis nostrae cogitationis. Diuturna nostra observatio, quae versatur vel circa externa sensuum objecta, aut internas istas mentis operationes, quas in nobis animadvertimus, omnem cogitandi materiam intellectus suppeditat: ab his duobus scientiarum fontibus, omnes quae in nobis sunt, aut esse possunt, ideae originem ducunt.

Primo, sensus nostri, *qui circa particularia objecta sensibilia versantur*, in mentem

em ingerunt *varias diſtinctasque rerum* erceptiones *juxta modorum diverſitatem* uibus *ab objectis iſtis afficiuntur. Hinc* *ta, quæ in nobis inſunt*, flavedinis, albe-inis, caloris, frigoris, mollitiei, duritiei, maritudinis, & dulcedinis ideæ, *atque* *mnes iſta, quæ ſenſibiles vocantur quali-ates, quas cum a ſenſibus in animum in-romitti dico, ita intelligi velim, ac ſi di-erem, ab objectis ſenſibilibus id ſenſuum dminiculo in animum introduci, quod* per-eptiones *iſtas effecit. Ingentem hunc o-nnium propemodum idearum noſtrarum fon-em, cum ſenſibus nitatur, atque inde in ntellectum deferatur*, ſenſationem *voco.*

Secundo, fons alter, unde experientia deas *in intellectum derivat*, *eſt* operatio-ium quæ in mente ſunt perceptio, *quate-us circa ideas a ſe collectas verſatur; uæ operationes poſtquam animis eas con-iderate contemplamur, aliud genus* idea-um *intellectui ſuppeditant, quæ a rebus xternis oriri non poterant: in eo numero ſunt*, perceptio, cogitatio, dubitatio, fi-lucia, ratiocinatio, cognitio, volitio, *at-ue alii diverſi animorum noſtrorum actus;*

B *eorum*

eorum cum nos simus conscii, ideas aeque distinctas ab illis in intellectum recipimus, ac corporibus istis, quae in sensus incurrunt. Hunc idearum fontem unusquisque intus se habet: & quamvis haud sensus appellandus sit, cui nullum cum objectis commercium est; illi tamen simillimus est, & nomine satis proprio sensus internus dici possit. Quemadmodum autem alteram sensationem, ita hanc reflectionem, cum ideae, quas praebet, tales tantummodo sint, quales mens ex suarum intus operationum contemplatione adipiscitur. Per Reflectionem itaque hujusce tractatus curriculo intelligo, notationem in mente operationum suarum, & modi quo fiunt, unde accidit quod harum operationum ideae *in intellectu oriantur. Ab his duobus, inquam, videlicet ab externis rebus materialibus, tanquam* sensationis *objectis; & ab internis mentis operationibus, tanquam* Reflectionis *objectis, omnes nostrae ideae originem mihi sumere videntur. Vox operatio hic lato sensu a me usurpatur, quatenus nimirum non solum actus mentis circa ideas suas, verum affectus etiam quosdam denotat*

notat, *qui ab iis proveniunt*, *cujusmodi est voluptas aut perturbatio*, *quæ a cogitatione quavis oritur.*

Mihi quidem intellectus idearum videtur habere, *quas non ab horum alterutro recipit.* Objecta externa menti suppeditant sensibilium qualitatum ideas, *quæ sunt variæ perceptiones quas in nobis producunt*, *atque* mens *intellectum operationum suarum ideis instruit*, *postquam hæc duo*, *una cum variis illarum modis*, *combinationibus*, *&* *relationibus*, *accurate fuerimus contemplati*, *videbimus idearum nostrarum supellectilem universam in illis contineri*; *&* *nihil esse in intellectu*, *quod non uno aut altero modo introiit. Rimatur quivis*, *quantum potest*, *intimos mentis suæ sensus*, *dein referat*, *utrum ideæ primigeniæ*, *quas ibi reperit*, *aliunde sint*, *quam a sensuum objectis*, *aut mentis operationibus*. *prout* *considerantur tanquam* reflectionis *suæ objecta*: *Etiamsi fortasse mentem suam multiplici rerum cognitione cumulatum esse censeat*, *post accuratam tamen considerationem reperiet*, *nullam in animo inesse ideam*, *quæ non uno aut alte-*

ro modo fuerit impressa, etiamsi intellectus fortasse infinita varietate illas composuerit, atque implicaverit prout post ostendemus.

Homines itaque plures aut pauciores ideas simplices ab extra recipiunt, prout in objectis, quibus familiariter utuntur major aut minor varietas inest; & ab operationibus mentis. prout intellectus aciem magis aut minus ad eas dirigunt. Quamvis etenim qui mentis suæ operationes contemplatur, nequit non claras aut perspicuas illarum ideas habere; attamen nisi cogitationes suas eo dirigit, nisi animum ad eas attendat, *haud citius mentis suæ operationum omnium, & cunctorum, quæ in ea possunt observari ideas percipies, quam ille tabulæ cujusvis in qua res plurima sunt depictæ aut horologii partium & motuum particulares omnes ideas habebit, qui oculos in illud conjicere, & partes illius omnes intueri aspernatur. Tabula, aut horologium ita collocari possunt, ut ei quotidie ante oculos versentur, partium omnium e quibus coagmentantur, non nisi confusam habiturus est* ideam, *donec ad illos*

sigil-

sigillatim animum diligenter attenderit. Lib. II. Cap. I. Versio Latin. Edit. Lips. Modum acquirendi rerum humanarum atque divinarum ideas eundem esse, necesse est concedas, nisi forte duplicem intelligendi facultatem incongrue affirmaveris, unam ad res naturales, alteram ad res divinas intelligendas (de donis supernaturalibus non est sermo,) quae hactenus affirmare sustinuit nemo, cum contrarium abunde pateat vel ex hac una consideratione quod nomina, quibus Deus & ejus attributa significantur, desumpta sunt a rebus creatis, & removendo quicquid sit imperfectionis & retinendo omnes perfectiones, summum Numen ejus generis appellationibus indigitamus. Ex. gr. Vocamus Deum *Spiritum*, quae vox latine, graece atque hebraice denotat etiam ventum, aerem subtilissimum, cujus proprietates, invisibilitas. velocitas commodissime Deo possunt tribui; unde liquet opus esse ut prius cognoscam quid sit ventus. Novi Deum esse Ens cogitans, sapiens & bonum, sed haec omnia desumpta sunt ab humana mente, & ejus actionibus, idem di-

ctum puta de aliis multis ex Dei Attributis, atque appellationibus.

§. 3. Docet, fateor, Apostolus, Rom. c. II. v. 15. esse naturalem notitiam Dei, quæ comparari & cordibus inscribi possit, contemplando opera creationis ut inde facile deleri nequeat; non vero quod ante ullam contemplationem talis fuisset inscriptio. quod satis patet ex capite primo vers. 20, *Invisibilia Dei jam inde a condito mundo, ex iis quæ fecit, mente perpensa prævidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum Divinitas.* Neque hilum valebit dicere, Paulum in secundo Capite loqui de notitia innata, in primo autem de acquisita, cum ex contextu videre sit, discursum esse continuum & Scopum eundem, neque Apostolum credo fuisse ita Scholasticum. His rite consideratis, non est quod affirmare dubitemus, subinde inveniri talia hominum monstra, quæ etiamsi vespertilionum instar, interdiu coram minime compareant, nihilominus in tenebris secure circumvolitant. Sed quid multis, eo impietatis a nonnullis ventum est, ut verbis, scriptis, atque vitæ institutis certiora signa dent se nullum cre-

credere Deum esse, quàm multi, qui probi & religiosi haberi volunt, dant, se credere Deum esse.

§. 4. Sed ne cui parum probentur argumenta, vocabo inpartes Viros Eruditissimos. Clariss. *Tronchinus* in notis suis ad Systema Theologicum minus Wendelini Manuscriptis, disertis Verbis talia tradidit, *credimus dari Atheos corde & conscientia, nempe quando induraverunt corda, eo possunt devenire per frequentes repetitiones malarum cogitationum.* Insuper alius auctor recens: *Sunt equidem, qui dubitant, an omnino detur Atheus Theoreticus? sed experientia ipsi repugnare videntur. Etsi enim, insitam istam de Deo notitiam vixa quoquam mortalium ita supprimi posse, ut non subinde conscientia morsus sentiant, & veritatis vis vel illis invitis erumpat; fieri tamen potest, ut per summam animi malitiam quadantenus eandem reprimant & hinc sibi persuadent, non esse Deum, idq; verbis pariter ac factis testentur. Et tales homines proh dolor! omni tempore fuisse, & hodie plures forte esse quam vulgo creditur non est quod dubitemus. De illis*

qui jam apud Ethnicos Atheismi nomine infames fuere, ut Epicuro, Protagora, Diagora, Theodoro Cyrenaico, aliisq́, nunc nihil dicam: cum non nesciam, quosdam a quibusdam defendi: fieri etiam potuit, ut Ethnici eos, qui ab idololatria & superstitione alieni erant, impietatis & ἀθεότητ@ accusarint, eo quod constent, ipsis Christianis olim ab Ethnicis Atheismi crimen objectum fuisse. Quidquid hujus sit, id tamen certum, pleraque Gentilium Philosophorum Systemata, quibus reram naturalium causas explicare annitebantur, ad alendum & fovendum Atheismum perquam fuisse accommodata. Fuisse autem deinceps inter Christianos recentiori præsertim ætate, & hodie adhuc esse, qui hocce impietatis se obstrinxerunt, historiarum nos dubitare non sinunt monumenta. Joh. Francisci Buddæi Institutiones Theol. Moral. p. 591. Insuper Hülsemannus in Breviar. Theolog. cap 11. hæc scripta reliquit nostræ opinioni convenientia, *possibile esse dari ad tempus quosdam speculative Atheos, non per natutam, sed per exacationem.* Habemus etiam exempla quorundam, qui mortui sunt Athei

corde

corde & conſcientia; ſic Vir in Gallia Eminentiſſimus in lecto emortuali decumbens dixiſſe traditur, *omnes Religiones eſſe indifferentes, quia nihil expectandum poſt hanc vitam* : Vaſſor in Hiſtoria Ludovici XIII. JOHANNES d'ESPAGNE in Erroribus popularibus, teſtatur, cum Viro litterato, & in ſua Profeſſione ſatis celebri, Colloquia Seria ſe habuiſſe, cum eſſet jam ferme moriturus, qui inter alia dixiſſe, ſe nunquam potuiſſe credere *eſſe DEUM.* Cognovi & ipſe, dum eſſem Londini, Virum ſatis doctum, qui non dubitabat affirmare, ſe de *nihilo iſto inviſibili plane nihil credere* : Nomen tacebo, forſitan jam ad ſe rediit, quod faxit Benigniſſimum etiam erga hoſtes Divinum Numen. Neque video quid obſtet בְּלִבּוֹ *in corde ſuo* Pſal. XIV. ita explicare, ut ſignifiaet inſignem ſtultorum inſcitiam; qui eo impietatis pervenerunt, ut auſint toto corde credere, nullum eſſe Deum. Sed quid opus eſt pluribus, res ipſa proh dolor! ſe aperit, triſtiſſimis his temporibus. Cum ſcelerata progenies non eo eſt contenta, in aulas principum, caſtra militum, & procerum ædes, jam dudum ir-

 repſiſſe,

repsisse, nisi in domus civium, officinas artificum, & tantum non in Colonorum tuguria, ulterius serpat, & omnia in urbe & ruri pestifera lue inficiat & corrumpat. Si quis iterum objecerit, nullum unquam fuisse qui ad supremum usque diem perstiterit Atheus, quin appropinquante morte, pessimum quemque ad se redire & summum aliquod Numen, nolentem volentem agnoscere: quicquid sit hujus rei, non multum laboro (etiamsi difficile forsan esset probatu, quia cor hominis fallax atque inpervestigabile) sufficit pro meo scopo dicere, Atheismum aliasque hæreses neque diuturnitate neque brevitate temporis mensurandos. Atque uti non immerito vocamus eos Socinianos, qui per aliquot annos vel menses pugnant contra Divinitatem nostri Redemtoris; non secus ac si hoc fecissent per totam vitam; Ita idem dictum puta de Atheismo.

CAPUT II.

§. I.

HÆc si tam vera sunt quam quæ verissima, horresco quidem referens, operæ pretium

pretium duxi, præcipuas hic Atheismi causas proponere. Inprimis hic existimo culpandum esse vanissimam quorundam de Fato Sententiam, quæ per aliquot mille annos mortalium animos magnopere molestavit, utpote sustinens, ab omni æternitate omnia ita destinata fuisse, ut nullis consiliis vel auxiliis, id quod est in fatis evitemus, vel mutemus; imo nec consilio prudenti, nec remedio Sagaci, fatalem dispositionem subverti vel reformari posse. Cicero in lib. de fato, affirmat duas fuisse Philosophorum sententias hac de re, unam eorum, qui censebant *omnia ita fato fieri, ut id fatum afferret vim necessitatis, in qua Sententia* Democritus, *Empedocles, atque Aristoteles fuere; alteram eorum, quibus videbatur sine fato fieri animi motus voluntarios; Chrysippum tamen asserit medium teneri voluisse, cum & necessitatem improbat, & nihil vult sine præpositis causis evenire, ideoque causarum genera distinguit, ut & necessitatem effugiat, & retineat fatum: causarum*, inquit, *aliæ sunt perfectæ & principales, aliæ adjuvantes & proximæ.* Quæ verba Chrysippi sic exponit Cicero; *Nam*

Nam quamquam assensio non possit fieri nisi commoto Viso (i. o. objecto,) tamen cum id Visum, preximam causam habeat, non priucipalem, hanc habet rationem, ut Chrysippus vult, quam dudum diximus, non ut illa (i.e.) assensio quidem fieri possit ullo vi extrinsecus recitata. Causam assensionis secundum Ciceronem sic habeto, motus, inquit, *voluntarius, eam naturam in seipso continet, ut sit in nostra potestate nobisq; pareat ; nec id sine causa ; ejus enim rei causa ipsa Natura est.* Et argute satis refellit Cicero captiones Philosophorum, *Sive, inquiunt adhibueris medicum, sive non adhibueris convalesces: captiosum, tam enim est fatale medicum adhibere, quam oonvalescere.* Insuper Stoici fatalem causarum concatenationem posuerunt, cui & ipse Jupiter obnoxius, secundum dictum Senecæ: *Eadem necessitas & Deos ligat atque homines, irrevocubilis Divina pariter atque humana cursus rapit.* Hinc incongrui, informes & tristes de DEO conceptus, qui hominem captiosum atque curiosum facile in Atheismum detrudent, vel in fatum physicum, quod omnia fieri necessario statuit,

per

per concursum atomorum, & ab Epicuro nominatam τὴν τῶν φυσικῶν εἱμαρμένην, & referente Cicerone, Corpora individua gravitate pulsa ad perpendiculum rectis lineis. Nos Christiani, qui meliora novimus, diligenter quoad possumus fugiamus hujusmodi Philosophorum quæstiones, quæ rixas generant maximas, & parum vel nihil ædificant. Quod facile est factu, si semper cum Scriptura loquamur, tribuendo omne bonum DEO, & omne malum nostræ voluntati. Operationem divinam quod attinet in nostras voluntates, sufficit dicere, nequaquam esse vim, neque tantum esse suasionem, sed summam efficaciam, qua tollitur prava voluntatis dispositio. Viri prudentis est, nihil supra Vires suscipere, & si quæ sint quæstiones, quæ captum nostrum videntur transcendere, eas plane detrectare, aut modeste admodum de iis disputare, quia in hisce disputationibus docti atque indocti sunt pares, quia æque infeliciter disputant.

§. 2. Adde hoc summam parentum, atque præceptorum incuriam, qua negligitur præcipuus Religionis articulus coli & ju-

juventuti inculcari, ita ut passim invenias viros ætate graves, articulorum, qui respiciunt mysteria fidei Christianæ apprime gnaros, & cujuscunque officii civilis & religiosi mire peritos, quod si eos tamen rogaveris, ut dignentur argumenta aliqua proponere, quibus probetur DEI existentia, vel animæ immortalitas, plane obstupescunt subito, ceu fulgure aliquo afflati & perculsi, ut nihil habeant (nisi forte maledicta) quod reponant. Unde quæso tanta stupiditas & ignorantia, nisi inde quod volumus haberi Christiani non vulgares, cum interea officia hominis plerumque nos lateant. Faverunt quidem stupiditati Aristotelici, asserentes, cum negantibus principia non verbis sed verberibus esse disputandum. Longe melius de re Christiana merentur Viri egregii nostri temporis, qui de industria Theologiæ Naturali excolendæ operam non inutilem locarunt, quo conatu nihil efficacius esse possit ad sistendum Atheismi cursum. Utinam omnes, qui Catecheticas institutiones in usum juventutis Christianæ scribendas suscipiunt, hoc serio secum reputarent, hoc enim si face-

facerent, non tam levi brachio, vel, ut fieri ſolet, intactis fundamentis religionis naturalis, ad alias quæſtiones difficiliores properarent. Conandum eſt potius in primo limine demonſtrare differentiam inter Spiritum & Corpus, quæ captum juvenilem neutiquam ſuperat, modo perſpicuitati ſtudeamus: & hac una differeutia rite explicata & percepta, impoſſibile videtur, ut quis fiat Atheus.

§. 3. Inter primarias Atheiſmi cauſas ponenda eſt ſuperſtitio quæ a Græcis δεισιδαιμονία nominatur, id eſt ſervilis timor Dei, qui etiamſi de exiſtentia Dei non dubitat, triſtem tamen & noxium, eſſe credit, & talem Deum truculentum & minime benignum nemo equidem ſecreto dubitabit carpere, & plane negare (ſi exiſtit) illum debere ex jure diutius exiſtere. Quocirca quid mirum memoriæ traditum eſſe nonnullos antiquos Philoſophos ad purum putum Atheiſmum inter Athenienſes potiſſimum lapſos fuiſſe. Qua quæſo quæ unquam Reſpublica quicquam tetrius aut magis ab omni ſapientia atque pietate alienum publicis legibus ſancivit? Barbari enim plerumque

tumque Solem & Lunam cæteraque cœlestia coluerunt, & si quos homines, eos solummodo, qui olim virtute & præclare gestis enituere: Græci autem non modo homines, sed & hominum flagitia. Scilicet cum immanissima Græciæ barbarie, teterrima superstitio forte orta sit, omniumque animos occupaverit, eam Poetæ, vaferrimum hominum genus, dum scenæ omni scelere refertæ inservierint, longe fœdius impiis suis fabulis contaminarunt, atque quidem tam turpia & flagitiosa de Diis suis finxere, ut de homine improbissimo nemo tam improba crediderit, & si conviciis atque probris lacessere voluissent, nescio quî fœdiora comminisci potuerant. Ne vero omnem turpissimæ superstitionis histrioniam aperiam, totum prope cœlum tam perdita hominum colluvie compleverant, ut summa & sanctissima ista mundi sedes, non tam Deorum domicilium quam latronum ergastulum videretur. Quî igitur Philosophos se gerere oportuisse putamus, cùm Deorum stupra, ebrietatem, ærumnas, luxus, bella, & servitutes animadverterent? Quid cum Cœlum, qui Deorum

rum omnium summus, a filio Saturno exectum acciperent? Quid cum ipsi Saturno humano sanguine litari viderent? Quid cum proprios filios devotasse audirent? Annon melius fuisset jam inde ab initio Critia vel Diagora ad condendas leges adhibito decrevisse nullum esse Deum, quam talia sacra facere, qualibus Saturno operabantur? Annon crassius & vehementius in Numinis Majestatem tam barbara superstitione quam apertissima impietate peccatur? Annon denique præstat nullum omnino numen coluisse quam aut immane aut impium esse arbitrari? Quid cum Jovem non magis regno quam vitiis principem, in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris avibus prosilire? Quid cum squammatum, cornutum, plumatum & in aurum præ libidine conversum Deum? Quanto melius Ægyptii qui vicatim bruta coluerunt animantia, quam Græci qui tales adorant Deos, illa enim etsi feræ sint, non tamen ira aut libidine inflammantur. Undu Momus false & scite in publico omnium Deo-

rum conventu impiorum defensionem suscipiens Luciano inducitur. " Quum ex "Poetis audiunt nos amare, vulnerari, servire, vinculis obstringi, seditionibus turbari, innumeris molestiis implicari; præsertim cum beatos & immortales esse contendamus, quid aliud quam nos jure deriderent & flocci facerent.

Si vero non modo ipsos Deos se & ipsum Deorum cultum intueamur, quid quæso Philosophos agere oportebat, cum Eleusinia mysteria, & Veneris sacra aspicerent, quæ quemadmodum Athenis celebrari solebant, αἶσχος κοσμικὸν, mundi probrum, merito appellantur, cum ipsa supanaria nulla tam fœda scelera viderunt, quam quæ in ipso Deorum cultu patrabantur? Quid cum Bacchi Orgia, quæ Consules Romani Senatus auctoritate non modo urbe sed universa Italia eliminare bonorum reip. morum interesse reputarunt? Quid denique cum totum undique Deorum cultum immanitate, libidine & omnibus flagitiis contaminatum intuerentur? Ignavi sane admodum & nullius animi fuissent, nisi tam vesanas tamque impias Religiones palam & cum

cum indignatione abdicassent. Ut si tales fuerint quales fuisse accusantur, reliquis tamen qui turpi vulgi superstitione obstringi se passi sunt, longe cordatiores fuere: fieri enim non potuit quin Deum (si quem omnino esse putaverint) a tam immani & pernicioso cultu abhorrere intelligerent. Atque adeo neque ipsi suscipere possent, nisi prius aut omnem Numinis cultum deposuerant, aut saltem tantilli esse reputaverant, ut nihil referre censerent, cui aut quomodo aut denique an omnino perageretur: Atheos enim nullius superstitionis piget, quantacunque turpitudine inquinetur, sed quodlibet & quovis modo adorant, modo charissimæ cuti & capiti consulatur. Ut quidem summo jure reliquos omnes, quotquot insanis vulgo religionibus passim uti consuevere, non modo Diis quos adorare simulaverant, sed omni Deorum numini plane illusisse & clam renunciasse suspicemur. Nostri autem cum fortasse erga puram sanctamque religionem meliore animo affecti fuerint, tam immanes superstitiones tollere studuerunt, ut cultus quem Deorum uumini magis place-

re putabant, illius loco obtineret. Unde Clemens Alexandrinus dum in impudicas Atticæ superstitionis ceremonias invehitur, sic demum & merito quidem perorat: "Qua "de causa venit mihi in mentem admirari "quonam modo Euhemerum Agrigenti-"num & Nicanorem Cyprium, & Diago-"ram, & Hipponem Melium, & illum post "hos Cyrenæum, cui nomen Theodorus, & "multos alios, qui probe & modeste vixe-"runt, & reliquis acrius hunc de Diis istis "errorem perspexerunt, impios & Atheos "haberi. Qui etiamsi veritatem ipsam "forte non attigerint, errorem tamen in-"tellexerunt, quod quidem non exiguum "est ad inventionem veritatis exordium. Verum utcunque fuerit, longe satius esse arbitror omnem religionem aspernari quam talem suscipere, quam non modo fictam & inanem, sed impiam & Deo exosam esse novimus. Jamdudum me fateor, inquit Arnobius, mecum reputantem in animo rerum hujuscemodi monstra, solitum esse mirari audire vos dicere quenquam ex his Atheum, irreligiosum, sacrilegum, qui Deos esse omnino aut negent aut dubitent; cum

cum sit multo rectius Deos esse non credere, quam esse illos tales. Atque igitur longe clementius in Philosophos istos, etiamsi tales fuerint Athei quales fuisse perhibentur, animadverti oportet, quam in sordidos istos vulgi adulatores, qui una cum eo tam turpi superstitione se volutari sustinerent, Vel saltem a populi Atheniensis dica aut fori Areopagitici judicio impios non haberi, cum tales Deos contempsisse accusantur, quales non contempsisse sine apertissimo in religionem scelere non potuerunt.

Idque potissimum si civitatis mores & leges paululum intueamur, cum & turpissima religione usi sint, & eam extrema legum severitate omnibus impetraverint. Etenim sicut Græcia præ aliis regionibus olim superstitionum fœcunda fuisse traditur, ita Athenas præ reliquis Græciæ urbibus superstitioni deditas fuisse accepimus, unde vulgo dictæ sunt Deorum Patria & Officina, atque hinc cives suos Poeta comicus excogitat, quod Athenas in Ægyptum mutavissent, & Philosophus totam urbem unum altare factam fuisse queritur. Quippe

sanctissimis reip. institutis civibus jussum erat, una cum Diis Patriis Deos omnes peregrinos hospitio excipere, exceptosque colere, ex quo ibidem quotannis celebrabatur festum Θεοξενία dictum, quod in numinum inquilinorum honorem instituebant. Adeo ut præter vernacula numina omnes Barbarorum Deos, omnemque omnium gentium superstitionem sibi tandem accersivisse videantur. Cum autem tam immensam superstitionum molem susceperant, eam legibus acerbissimis omnibus præscripserunt, capitisque periculo cuique civium imperabant Deos atque Heroas Patrios (ut jubent civitatis leges) venerari. Et si quis vel verbo solummodo præter illorum legem quicquam de Diis diceret, summo semper & inevitabili supplicio mulctarunt. Neque quodvis delictum tam leve circa sacra fieri posse putabant, quin quod capitis pœna expiari mereretur. Si quis vel parvam ilicem e luco heroum forte excidisset, eum morte puniebant. Atque adeo fatuum quendam eumque in civitate famosissimum, quod Æsculapii sacrum passerem ad necem usque verberasset, morti adjudicarunt: cumque

cumque puer quidam auream laminam, quæ e Dianæ corona deciderat forte sustulisset, nullam ætati veuiam dederunt, sed crepundiis, talis, & lamina ei simul oblatis, cum ad eam se contnlisset, plexus est capite Infans sacrilegus. Et ne quicquam in sacra impune peccatum foret, secutus postridie mysteriorum in Templo Eleusinio confessum faciebat, ut si quis in festi religionem quicquam peccasset, pœnam secundum legum instituta exigerent. Immo vero non modo stultos & pueros, sed res brutas & inanimatas, si in religione deliquerant, in judicia vocare sacrum & solenne habebant. Sic in festo Βȣφονίων bovem quotannis immolabant, in memoriam cujusdam bovis Athei, qui sacras fruges in Bacchanalibus olim devoraverat: Et deinde interfecto bove, bipennem quo eum occiderant, in judicium quoque vocabant: eum tamen, cum actionem solenni fori pompa exposuissent, ea erat judicum clementia, absolvebant, quod bos qui sacras fruges absumpsisse ausus fuerat, jure interfectus videretur. Jam cum adeo futilis & ludicra fuerit Athenienfium superstitio,

eamque cum legibus tam ſanctis juſſerint, quî fieri potuit, quia cordati omnes tum publicæ religioni renunciarent, tum ad Areopagi tribunal poſtularentur. Potiſſimum cum non modo ea hominum probra, quos conſecraverat antiquitas, ſed & nova indies in Deorum numerum ipſi referebant. Leænam & Lamiam fœdiſſimum ſcortorum par annuæ parentationis honore mactaverant; Buricho. Ademanto, Oxythemi, viliſſimis lenonibus aras ac delubra extruxetant, quo tandem neceſſe foret, ut aut turpia hujusmodi monſtra libationibus, pæanum cantibus & cunctis religionis ceremoniis colerent, aut in ipſam urbis religionem peccarent. Sed probe diſtinguendum inter ſuperſtitionem inconditasque hominum inventiones ad vulgus innocuum circumveniendum compoſitas, & verum Dei cultum, Atheiſticis etenim hominibus noſtro tempore nihil magis ſolenne eſt, quam ingenti zelo adverſus ſuperſtitionem declamare quamplurimum, ut eadem opera veram religionem quoque deprimant, contra ſacerdotum Eccleſiæ Romanæ fraudes, perpetuo invehere, ut eo commodius &

majori

majori cum applausu sacerdotium ipsum & sacerdotes omnes cujuscunque sint sectæ aut opinionis sugillent & conculcent pedibus. Hoc stratagema adhibuit olim Vaninus in Tractat. *de Admirandis Naturæ Reginæ Deæque Mortalium* lib. IV. Dialog. de Religione Ethnicorum, de Oraculis, de Sybillis, de Dæmoniacis, de sacris Ethnicorum Imaginibus, aliisque Dialogis ultimi hujus libri, ut facile sit attendenti cuique percipere scopum Vanini non modo gentilium fraudes detegere, sed omnem Dei cultum ex hominum funditus abolere. Author Apologiæ pro Jul. Cæsare Vanino *Cosmopoli* hoc Anno impressæ si intendisset animum ad attendendum non temere suscepisset Vanini defensionem. Ejusdem criminis postuiatur Johannes Tolandus a Viro plurimum Venerando Jacobo Fayo, SS. Theol. Doct. & Theologo Ultrajectino, in *Defensione Religionis contra Adaisidamona Tolandi*, sed de his suo loco plura.

Hic crassus cum Deo agendi modus, Luciano in tract. de sacrificiis ansam præbuit jocose & cum multo sale de Diis Gentilium multa proferendi. Et Juvenalis Sat. 6. Æ-

gxptiacam ſuperſtitionem acriter perſtringit.

Illius lachrymæ mentitaque murmura præſtant
Ut veniant culpæ non abnuat anſere magno
Scilicet & tenui popano corruptus Oſiris.

Quænam quæſo probabilior ratio Atheiſmi præſertim ſeculo ſuperiori in Italia exuberantis, quam genius gentis acris, qui facile perſpicit tantas ſuperſtitiones ceremoniales, ad oſtentationem & ad lucrum faciendum compoſitas, nihil aliud eſſe, niſi Sacerdotales fraudes & technas; & cum nullam meliorem norit religionem, facile in eam opinionem venit, omnem ſcilicet religionem nihil aliud eſſe quam contemtum politicum. Eo profecto ſpectant peregrinationes in longinquas oras, corporis flagellationes, abſtinentia ab aliquibus cibi ſpeciebus, ejusque furfuris ſuperſtitiones aliæ, quæ plane deſtruunt verum, quem de Deo habere debemus conceptum, qui plane & benignus, & nihil aliud a nobis poſtulat, quam ſolam innocentiam morum, atque Obedientiam, *quam ſi obtulerit, ſatis pie,*

pie, satis religiose litavisti. Lactant. de vero cultu.

§. 4. Neque tacenda est detestanda illa animi superbia fastusque, quo plus nimio tribuimus nostro ingenio, solis æterni radios divinarumque perfectionum profunditates, luscis oculis contemplari, & bolide heu nimis brevi, tentare volumus: ex hoc animorum fastu & elatione provenit tantus sacrarum literarum contemptus, nova mundi systemata Mosaico ex diametro opposita, & si credere fas est, etiam novi orbes proveniunt. Et quamvis omni contentionis genere, ad debellandam istam animi curiositatem & impotentiam urgeat nos sana ratio, & purior doctrina, nihilosecius insistunt suis cœptis, donec tandem, permittente irato DEO, tantopere obdurentur corda obducto callo, ut nihil amplius credere velint, nisi allata demonstratione Mathematica: Hinc Prophetarum & Apostolorum scripta, pro farragine variorum tractatuum, a variis proprio motu conscriptorum existimantur. Hæc sane causa inquit *Spizelius* in Scrutinio Atheismi, cur *Petrus Bembus ad Sadoletum veniens, eumque in enarratione loci alicu-*
jus

jus Biblici occupatum deprehendens, illud eructavit: Omitte has nugas, non decent gravem virum tales ineptiæ. Et Lazarus Bonamicus blasphemo fastu dicere non erubuit, se odas Prindaricas Psalmis Davidicis præferre. His adde Angelum Politianum, qui roganti, an Biblia legeret, cum fastidio respondisse dicitur, *semel perlegi librum illum, & tempus nunquam pejus locavi.* Sed antequam ad alia transeamus, infami stigmate notandi sunt illi, qui sub prætextu Atheismi expugnandi, cum interea abstruunt & stabiliunt revera, infirmando Antiquorum argumenta valida, & omnibus obvia, & loco horum substituendo rationes Metaphysicas & subtiles, quæ captum vulgarem transcendunt, & superant; hinc Antiquorum contemptus, novorum atque difficiliorum inordinata desideria: quæ argumenta Nova, cum discutienda veniunt & æqua lance ponderanda, evanescunt in auram, leviora vento; Et Veteranis argumentis antea rejectis, mens humana fluctuat & vacillat, Atheis serius citius in prædam cessura. Insuper Viri docti & alias pii, qui scribunt contra Atheos sæpe sæpius argu-

gu-

gumenta hauriunt ex Sacra Scriptura, qua ſane methodo nihil infelicius, aut triſtius eſſe poteſt, quia allegando Sacras Scripturas, ſupponimus Deum exiſtere, a quo illas emanaſſe credimus. Quod ſi cum Atheo tibi fuerit confligendum, incumbit tibi hanc propoſitionem; Deus eſt, aliasque multas veritates probare, alioquin fruſtra plane allegaveris Scripturas, imo Atheum magis atque magis in opinione ſua firmaveris, quemadmodum ſi cum Judæo vel Turca diſputandum, neceſſe eſt habeamus principia communia & ab utraque parte conceſſa, ut ſuo gladio jugulemus adverſarium. Ex Scripturæ Sacræ indole, ex ſublimitate puta rerum contentarum, ex conſenſu partium, aliisque ejus attributis argumentari licet; non ſecus ac ex mirandis naturæ, partium conſenſione &c. Propter ſubtilitatem ſuam nimiam fuere plures, qui improbarunt Methodum Carteſianam; & Spizelius, in Scrutinio cauſarum Atheiſmi, eam per quam acerbe tractat & minime comiter: *Cum enim,* inquit, *(inter Gallos educatus) Mercurium Gallicum profunde biberit, & latenter ſua philoſophemata per Belgium diſſemitarit, hacte-*

hactenusque unanimes, etiam armarit in prælia fratres, subiit quorundam mentes, num ingenue, an per insidias philosopharetur; Imo aperte quidem novam istam Methodum examinando, Cartesium cum Julio Cæsare Vanino Atheorum aquila comparare ausi, & potius calcem & lateres ad Atheismi muros erigendos, quam subvertendos subministrasse opinati sunt. Fateor, hac in parte Cartesium a multis corripi, & inter alios a *R. Gudvvorthio* in suo *Systemate intellectuali*, qui eum affirmat Deum otiosum & inertem ponere; & alius Scriptor Anglus Anonymus, qui scripsit doctissime contra præexistentiam animarum, vocat Cartesium crudelissimum, & truculentissimum lanionem, cum non aliquas Hecatombas, sed brutorum species suo genio Philosophico mactaret, ut eum alacrius doceret Artem Mechanicam. Hinc multi sibi timuerunt, ne forsan occasione data, ejus discipuli *Animas humanas* haud magis comiter, vel benignius tractarent. Sed quicquid sit de ejus Metaphysica, in physicis eum multo præstitisse, a paucis negabitur; Neque vellem temere tantum Virum insimu-

lare

lare Atheismi, qui tam clare ac distincte materiæ atque Spiritus naturam atque indolem explicuit, & a se invicem tam accurate distinxit; quantum ad multa alia ejus argumenta, valeant quantum valere possunt.

§. 5. Huc accedunt Theologorum Digladiationes & animorum acerbitas de articulis etiam non raro, qui neque bonos mores respiciunt, neque vitam æternam; attamen si quis a receptis systematibus discesserit vel latum unguem, væ homini! De omni spe amicitiæ conclamatum est, & in Papatu pro hæretico habendus & vivicomburio, ni palinodiam cecinerit quantocyus, puniendus; qui procedendi modus, procul omni dubio, spectantium animos tepore aliquo vel potius odio adversus omnem religionem imbuit. Neque omnino hac in parte excusandi sunt Protestantes, qui nescio quo malo fato, etiamsi bene inter se conveniant de omnibus, quæ ad salutem sunt necessaria, nihilominus tamen de factitiis fidei articulis, primævis Christianis incognitis, de rebus cultum externum spectantibus, de vocabulorum atque

què syllabarum apicibus, aut denique dè rebus captum nostrum longe superantibus, omni laterum contentione & animorum dissensione, in se invicem ita acerbe invehuntur, ut facile possis conjicere, ex odio adversarii potius, quam amore veritatis, istas infinitas rixas deductas fuisse: Inde homines de religione parum benigne sentientes consulunt principibus, ut omnem religionem negligant. affirmantes, quod princeps pacem & concordiam perpetuam sic demum obtinere possit in imperio, si omnes rixas & odiosas quæstiones quas Theologi excitare solvant. acriter prohibeat; ex istis enim disputationibus, oriri diversas sectas, quibus diversi adhæreant, atque sic mutuis erga seinvicem pugnis stimulatis, diversa judicia, odia, convitia & calumnias nasci, quæ intestino bello, nonnunquam haud exiguam præbeant ocaasionem. Caveas velim existimes, me omnes de rebus divinis disputationes improbare; nequaquam quia sæpe sæpius Ecclesiæ necessitas atque nostra officia hoc postulant, sed & est modus in rebus, nollem homines Christianos se invicem proscindere & lacerare, ne profani

ſani quique tripudient, & in contumeliam religionis conclament, Ubi eſt veſter Deus?

§. 6. Nec ſatis, proh dolor! lugere poſſumus vitæ morumque diſſolutionem, quæ prima & fere unica cauſa Atheiſmi nuncupanda venit; quia turpis & impura praxis, & maleſana Theoria aliquo modo ſeinvicem ponunt & tollunt. Ita ut qui ſemper ſcientes volentes male agunt, de iis jure dubitetur, an de Deo recte ſentiant, certe hi nihil magis cupiunt, quam ut nullus Deus exiſteret, ut repagulis omnibus remotis, timore ſcilicet divini vindicis, & ultimo judicio, hilarius & liberius cupiditatibus ſuis indulgere poſſint. Huc ſane tendunt innumeræ bonorum querelæ & exclamationes: *ſicut bona opera*, inquit *Cyprianus*, *profitentur Deum*, *ita mala*, *quodammodo loquuntur*, *non eſt Deus*, *nec eſt ſcientia in excelſo.* Hinc Apoſtolus 2. Tit. I, 16. *profitentur ſe Deum noſſe*, *ſed factis eum abnegant.* Qua inutili ac nuda cognitione, Chriſtianorum maxima pars ita eſt capta, ut credat Religionem nihil eſſe aliud, quam ritum civilem vel ceremonialem, inane nomen & præterea nihil: neque mirum, ſi

bene attenderis, disciplinam Ecclesiæ primitivam passim locorum jacere, ut homines inpurissimi, nulla pœnitentia publice facta (quemadmodum factum legimus in purioribus Ecclesiæ seculis) redeant in gremium Ecclesiæ quamprimum a Pastoribus, vel a Consistoriis veniam petant. Hinc eo impietatis deventum est, ut vix habearis Urbanus, nisi & vitiis pene obrutus. Sunt quidem & alii viri Principes, nobiles inferiorisque aujusvis ordinis, qui praxin Christianæ pietatis heu! nimium inclinatam restaurare sedulo laborant, neque irrito plane successu, quin indies aliqui vitiis antea deditissimi ad bonam frugem se redigi patiuntur. Qui bonorum omnium in reformandis Christianorum moribus labores, prosperos ut habeant successus, Deum Optimum Maximum vehementer veneror!

§. 7. Inter causas Atheismi multi numerant quoque perversam Sapientiæ naturalis tractationem, dum impio ausu & temerario, intra Naturæ limites atque cancellos, omnia volunt compingere, causasque duntaxat secundas, posthabita aut neglecta prima, observantes; hi quippe rerum ab-

abstrusarum, mysteriorumque Naturæ studio mancipati vidantes rerum naturalium semper eodem tenore se habere, nonnunquam Atheismi barathrum dilabuntur, Existimantes nullum plane esse moderatorem Universi, sed unamquamque rem suopte ingenio hos & illos cursus peragere. Ita olim impii argumentabantur: 2. Petr. III. *Ex quo Patres dormierunt, omnia sic perseverant:* Cum tamen e contrario, ex ordine constantique rerum tenore, concludere debuissent, revera Sapientissimum esse Moderatorem, qui modo convenientissimo, & Sapientia ineffabili, hæc omnia in debitum ordinem redegerit atque adhuc conservet. Huc referuntur, *Spizelio* Judice, Medici nonnulli atque Philosophi, imprimis Italici, quorum Scripta sapiunt passim impietatem; Hoc ipso nomine suæ quoque Professionis Sociis suspectus est *Hieronymus Cordanus*, adeo ut Mersennus in Genes. p. 602. illum Atheis maximopere favisse contenderit. Ad hanc classem quoque redigendi sunt ii, qui uni atque alteri experimento de virtutibus magneticis seu Idiocrasibus, de virtutibus Imaginationis atque

constellationis, perpetuo inhærentes; Legibus istis etiam supernaturalla subjicere, ex iisque omnes quosque stupendos effectus deducere non erubescunt. Sed quod Naturalis Philosophiæ studium, tendat sua indole ad Atheismum, tantum abesse mihi videtur, ut nihil magis ad eum radicitus extirpandum conducere possit, utpote armamentarium quoddam, unde omnis fere generis arma produci possunt ad hoc monstrum debellandum. Nec inepte *Baconus in Lib. de augmentis scientiar.* concedit *Leviorem aliquem gustum rerum naturalium inclinare animum ad Atheismum. Sed pleniorem haustum magnopere pro divina mente Sanctissima militare.* Unde constans Philosophorum antiquorum sententia, affirmat esse Deum, ut videre est apud *Authorem libro de Mundo. Vetus Sermo est, a majoribus proditus, inter omnes homines, Universa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse, atque coagmentata, nullamque naturam satis instructam esse posse, quæ citra Dei præsidium, suaque demum tutela permissa sit.* Et isti veteres physici, qui Atheismi postulantur, profecto sunt pauci,

&ab

& ab aliis omni tempore ut monstra hominum habiti: Et si quæ sint Nationes ita rudes, quæ nullum Numen norunt, quod referunt recentiores peregrinatores, barbari sunt, non Naturæ indagatores, quos commodius dicas Deum ignorare, quam ejus existentiam negare. Galenus de usu partium differens humani corporis, in laudem creatoris hymnos componere se contendit: Neque omittenda verba Paracelsi tract. de mineral. *Oppido*, inquit, *admirabilis in suis operibus Deus a quorum contemplatione nec interdiu, nec noctu desistendum, sed jugiter illorum indagationi vacandum, hoc enim est sensu satis proprio, ambulare in viis Dei.* Adde huc, quod solers naturæ indagator satis percipit, nulla phœnomena clare posse explicari, si negaveris esse Deum; causam equidem proximam intelligimus omnium fere operationum, motum puta, sed unde ipse motus cum materiæ non sit essentialis, quæ nunquam nisi ab alio movetur, debes, velis nolis, aut ignorantiam agnoscere, aut Deum ponere primam rerum omnium causam, & motorem. Videre expedit Nobilissimum *Boyleum* de

usu Philosophiæ naturalis etiam in Theologia. Consule insuper doctissimum Johannem Raium in libro, cui titulus: the Wisdom of God manifested in the Workes of Creation.

§. 8. Neque opinor abs re esse Physiologiam atomicam in specie ab omni ad Atheismum propensione vindicare, quæ apud multos non bene audit. Sed injuria, quod patebit paulo infra, cum Ideam generalem hujus Philosophiæ proposuero, quam verbis brevissimis sic habeto: Philosophia atomica statuit, materiam nihil aliud esse, nisi massam extensam, ad quam pertinet magnitudo, indivisibilitas, figura, positio, motus, quies, diversi scilicet extensæ substantiæ modi: Hinc omnes formæ substantiales excluduntur; quia absque earum opera commodissime poterant explicare phænomena corporea, quæ oriebantur ex diversis materiæ dispositionibus, diversa postea in nobis phantasmata excitantibus, alioquin aut ista antiquissima regula Philosophorum: *Ex nihilo nihil fit*, penitus fuisset eversa, cum ingens formarum substantialium turba perpetuo ex Nihilo fieret, quia

in

in materiæ idea non comprehenduntur, aut quod multo eſt abſurdius, Deus ſine ulla pauſa in ſcenam adducendus ad creandas formas Subſtantiales: Quia conſtans fuit opinio omnium Philoſophorum ante tempora Leucippi & Democriti, duas eſſe ſubſtantias diverſas in mundo, materiam ſcilicet extenſam διάςατον ἀντίτυπον, quam antea deſcripſimus, atque *Mentem* ſive ſpiritum, qui nihil habet cum materia commune, ſed omnes ejus proprietates ſunt diverſiſſimæ, puta cogitatio, dubitatio, imaginatio, memoria, atque ſui ipſius Conſcientia, quæ nullo pacto materiæ competunt; quia quantumvis materia ſit ſublimata atque rarefacta usque habebit omnes qualitates eſſentialis corporis cujusvis craſſiſſimi. His ſuppoſitis non miraberis, Veteres Philoſophos tenaciſſimos fuiſſe hujus regulæ: *Ex nihilo nihil fit:* Ut firmiſſime aſtruerent immortalitatem animæ, cum ut jam dictum eſt, ſit ens ſubſtantiale a materia diſtinctum, & non ejus modificatio aliqua immutabilis, & cum nulla ratio dictet annihilationem ullius Subſtantiæ, alioquin timendum ne ſucceſſu temporis,

omnes Substantiæ annihilarentur, imo omnis materia, quippe quæ anima longe ignobilior. Eadem hypothesis fortassis eos movit ad animarum præexistentiem ponendam & transmutationem; quia satis videbant a materia non possit derivari, cum in materiæ conceptu neque cogitatio, neque imaginatio, neque conscientia vel memoria includatur; alioquin actum fuisset de supra dicta regula: *Ex nihilo nihil fit*: Unde patet materiam & mentem, haberi substantias distinctas, atque ex iis duabus absolutum & perfectum fieri Philosophiæ Systema, quæ si sejunxeris, necessario eris Hæreticus, & si materiam solam adhibueris negando ullam aliam esse substantiam, eris Atheus, quod Leucippus & Democritus fecerunt, ut in sequentibus videre est. Plato autem contra, plus nimio ideis suis indulgens, affectiones materiæ non ita clare axplicuit, quod si atomice de materia philosophatus fueris, & Platonice de mente vel spiritu disputaveris, merito habeberis Philosophus orthodoxus, quod fecisse veteres Philosophos, ante tempora *Leucippi* atque *Democriti* abunde demonstrabo: Unde

Unde liquebit istam Philosophiam, nullam habere cognationem cum Atheismo, cum omnes isti antiqui Philosophi quorum mox meminero, essent atomici, simulque supremi nominis cultores observantissimi. *Pythagoras* exempli gratia videtur fuisse Atomicus, Gassendus enim observavit, atomos *Epicuri* aliquando etiam vocari monadas, atque Aristoteles discurrens de secta Pythagorica & eorum monadibus dicit οὐδὲν διαφόρει μονάδας λέγειν ἢ σώματα σμικρά. (i. e.) Nihil interesse inter monadas Pythagoricas & minima corpora sive atomos, neque dubitat Cudvvorthius asserere hanc Philosophiam per atomos esse veram & genuinam *Mosaicam*, cum *Jamblichus*, affirmet Pythagoram suam Philosophiam hausisse a *Mocho* vel Moscho Phoenicio aliquo, sui temporis celeberrimo, & & apud Athenæum citato, qnem Arcerius *Jamblichi* publicatot conjicit fuisse *Mosem Hebræorum*, cum quo *Sidone* Pythagoras Colloquia habuit. Quam conjecturam *Seldenus*, & post eum Huetius minime improbant. Sed multo prudentius *Stanleius* in vita Pythagoræ cum successoribus Mochi

illum colloquia habuisse, cum alias ratio temporis non patitur ut cum ipso Moise colloquutus fuerit. Insuper *Empedocles* apud *Plutarchum* judicat, quator Elementa ex minimis corpusculis consistere, quæ appellat Elementa elementorum; Porro *Elephantus Pythagorista* Syracusanus apud Stobæum, facit τὰ ἀδιαίρετα σῶματα καὶ τὸ κενὸν, scilicet indivisibilia corpuscula & vacuum, principia suæ physiologiæ. Multique alii atomorum cultores qui tamen ab Atheismo maximopere abhorruerunt, quos invenies apud *Cudworthium* lib. 1. cap. 1. Hæc breviter proferre non piguit, ne mendace fama a studiis omnium nobilissimis absterreantur optimi Juvenes. Philosophiam quoque Aristotelicam ad impietatem propagandam multum contribuisse a nonnullis creditur, cum mundi æternitatem doceat, de immortalitate animi nihil certi statuat, virtutesque quas explcat nullam fere pietatem erga Deum urgeant, sed ad tranquillitatem vel utilitatem civitatis promovendam unice spectant. Hinc videmus *Vaninum* Præceptoremque *Pomponarium* & *Jordanum Brunum* in scriptis Aristotelis etiamii

etiamsi subinde ab illo dissentiant mire fuisse varsatos. Hic *Anton.Reiseri* verba ponam: Monuisti antea, *Aristoteli* a Tychone Brahe impositum fuisse *Atheismum* teste Claramontio. At in plerisque Scholis & Gymnasiis, quin & ipsis Universitatibus Academicis primum fere in Facultate Philosophica obtinet locum *Aristoteles*, quem de jure non obtineret, aut obtinere nullo deberet modo, si hujus detestandi criminis esset reus. Non hic prolixe allegabo, quæ *Gassendus* in exercitatione adversus Aristotelicos paradoxis contra eum ejusque Sectatores non ita paradoxe monuit, in specie, *quod hi ex germana Philosophia fecerint Sophisticen, & quod immerito philosophandi libertatem sibi ipsis ademerint*, præterea, *quod nulla sint rationes, quibus Secta* Aristotelis *videre possit præferenda, & quod maxima sit incertitudo librorum doctrinaque Aristotelicæ*, insuper, *quod apud eum innumera deficiant, superfluant, fallant & contradicant;* quibus si cætera quoque accessissent, quæ in sequentibus libris, sexto inprimis contra Metaphysicam *Aristotelis*, tractaturum se promisit, non pauca sine dubio

dubio ad probandum ejus *Atheismum* exhibuisset, cujus tamen vicem, ut spero, supplebit illud *Theologiæ Gentilis Examen*, a Philosopho quodam Argentoratensi susceptum, quod nuper modo prodiisse, ex ultimo Nundinarum Francofurtensium Indice constat. Neque huc exscribam, quæ Sorbonista *Launojus* de *varia Aristotelis fortuna* in Universitate Parisiensi uberrime post multa Patrum Ecclesiasticorum testimonia ex documentis publico - privatis congressit, varia contra eum Lectori curioso sistens, ex quibus satis constare potest superque, *Aristotelem* non semel nec unis Ecclesiæ Doctoribus de *Atheismi* crimine suspectum fuisse, visumque adeo indignum, cujus doctrina juventuti teneræ in publicis Gymnasiis & Universitatibus non sine periculo seductionis proponeretur. Eminet inter cætera cum numero ibi extantia *Postelli* de Aristotelis Philosophia Judicium, qui in Epistola dedicatoria, libro *Justino Martyris*, qui Eversio Aristotelicorum dogmatum inscribitur, in Latinam a se converso Linguam, præmissa sic de Aristotele legitur censuisse; *Suscepi in falsa Aristotelis dogmata bellum,*

Ju-

Juſtini Martyris & Philoſophi præſtantiſſimi fretus armis, & Fidei cum Martyre conſimilis lorica tectus eo, quod ut olim omnia fere hæreſeων ſemina ex uno Ariſtotele emerſere, ita hodie Atheorum cohors inde manat &c. Ipſum quidem *Poſtellum* a non plane nullis in *Atheorum* cenſum eſſe relatum, ſupra dictum eſt, ſed ut eum numero hæreticorum etiam eximat, multum ibi laboravit *Launoyus*, Catholico-Romanæ communionis participem obiiſſe teſtatus. Illud quam maxime attendendum venit, quod *Campanella* Atheiſmo prorſus triumphanti quam triumphato in altera editione *Pariſiis* curata alium ſubjunxit Tractatum *de Gentiliſmo non retinendo*, in quo præprimis contra philoſophiam Ariſtotelis omni conatu egit, neceſſarium ſtatuens, *& neceſſitate quidem præcepti ac ſalutis*, evertere in aliquibus Ariſtoteliſmum, inter alias ob ſequentes etiam propoſitiones, dum conſtanter docuiſſe legitur, *Deum non eſſe creatorem mundi, ſed Mundum eſſe æternum ante & poſt;* item, *Deum non providere rebus inferioribus, eſſeque agens non liberum ſed neceſſarium*; porro, *Religionem*

eſſe

esse artem regnandi & retinendi populos, in offitio & obedientia, inferos & superos esse fabulas Legislatorum, post mortem nec præmium nec pœnas nec sensum homini remanere, sed felicitatem & infelicitatem cum morte finire, & quæ sunt alia primis Christianæ Fidei Principiis contraria, quæ non ita indirecte ad ipsum ducere videntur *Atheismum*, id quod dictus Campanella mox sub initium sui contra Atheismum operis sequentibus verbis testatum fecit: *Cum examinarem Aristotelis Philosophiam hodierno tempore apud multos regnantem, inveni eam non una ex parte sophisticam, Potentiæ, Sapientiæ & Bonitati divinæ adversantem, & quod res, quas ignorat, scire simulat, sicut Cæli motus & motores, Animam, DEum, Mundi æternitatem & similia; rerum vero, quas scio, notitiam exuit, quippe qui non modo calorem Solis, sed & Lucem abnegat*, &c. In margine hæc leguntur: *Dejectio Authoritatis Aristotelicæ, quatenus in eo fundatur Machiavellismus.* Similiter etiam Melchior Canus in Locis Theologicis consulit, *Aristotelis authoritatem minus oportere, ne*

errores

errores ejus, quos plures enumerat contra Fidem Catholicam; authoritas ejus firmet in animis legentium; narratque *ex doctrina ejus ortum eſſe in Italia Machiavelliſmum contra DEI providentiam & contra animarum immortalitatem & religionis veracitatem.* Quia autem inter cætera Ariſtotelis dogmata, quæ communiter erronea, & contra fidem chriſtianam, adeoque Atheiſmo proxima cenſentur, mundi æternitas ab omnibus refertur; ut Campanella expreſſe inſuper Ariſtoteli imponit, quod Deum non eſſe Mundi creatorem ſtatuerit, placet huc referre, quid ſubtiliſſimus non ita pridem Philoſophorum *Slevogtius* ea de re poſt alios judicarit, ita ſcribens: *Quamvis Ariſtoteles Mundum eſſe ab æterno putaret, ejusmodi hypotheſi deceptus, quam Chriſtiani hodie omnes novimus eſſe falſam, quod nempe DEus agat neceſſitate naturæ, nihilo minus eum a DEO creatum non negat*, id quod claris & perſpicuis ex eo teſtimoniis probatum dedit. Et iterum: *Licet hallucinatus ſit Philoſophus, Mundi æternitatem ſtatuens, quod in ipſo hodie improbant omnes, qua ex S. Scriptura cognitum*

tum habent, Mundum non ab aterno, sed in tempore demum a DEO fuisse creatum; ex eo tamen non sequitur, quod erraverit etiam ignoratione creatoris. Antecedens quidem scire non potuit, quod mundum in tempore factum esse sit Articulus Fidei, ad quem cognoscendum ratio humana natura solo lumine erigi nequit; consequens autem ignorare non potuit, scivit enim, in serie causarum eandem esse deveniendum ad unam primam, qua sic a nulla sit, ut, ab ipsa tamen sint omnia alia. Egit de hac Aristotelis Sententia noviter etiam *Pandulphus* in de Fine Mundi Disputationibus, inter quas unam in specie huic rei consecravit, mentem Aristotelis de DEI Providentia etiam contra quosdam Doctores vindicans, utpote adserentis, *moveri omnia ab inexistente nobis Numine*, hoc est, a Mente, non secus ac cuncta in universitate moveantur a DEO atque regantur; item *ex DEO Cælum & naturam pendere*, quæ dependentia Providentiam DEI ejusdemque regimen includat; porro, *naturam agere propter finem*, quod pronunciatum magnam habeat vim ad Providentiam Dei inducendam, quæ

&

& cætera huc pertinentia sine dubio uberius iu laudato *Theologiæ Gentilis Examine* exposita sunt, e quo itidem constabit, jure an injuria Aristoteles numero Atheorum includatur, & num e re sit publica bonoque juventutis ad seriam Pietatem educandæ, ut ad Aristotelem tanquam omnis Philosophicæ Eruditionis ducem ante omnes alios ducatur. Neque abs re fore doctorum judicio proponere atque modeste submittere opinionem meam de animabus brutorum annihilandis quæ jamdudum suspensum tenuit animum opinioni vulgo receptæ plane contrarium. Athei ex similitudine actionum hominis & bruti inter se comparatarum, inde utriusque animas quoque esse sibi invicem simillimas deducunt, & hactenus fere ab omnibus meo judicio imprudenter, incogitanter & liberalius debito Atheis concessum est mortalitatem animarum brutorum, cum longe melius inserviretur Religioni si animas brutorum indestructibiles fore defenderimus & curaverimus ut Athei contrarium probent, priusquam de animæ humanæ imortalitate disputent, sed hoc nullo modo ab illis probari posse,

possimus facile demonstrare (hic equidem paucis, alias forte multo fusius) cum omnis sana Philosophia & Theologia imo communis sensuum consensio abunde indicant inesse brutis aliquid a materia maxime distinctum quocunque nomine id insignire volueris, & causam esse syllgismorum practicorum atque conclusionum quas quotidie videmus in brutorum actionibus, & consequenter materia multo nobilius esse oportebit; quod si verum est quam quod verissimum, quicquid mussitent in contrarium Cartesiani & Secta Mechanica, sequitur id ipsum quod a materia in brutis posuimus distinctum, juxta cum materia (& forsan majore jure propter ejus excellentiam) plane esse indestructibile, quia omnes creaturæ permansuræ sunt in perpetuum, (quantum nos novimus) donec Deus revelatione aliqua doceat contrarium. Objectiones vero quod attinet a S. Scriptura depromptas facili negotio si occasio ita tulerit, diluere poterimus, & hanc opinionem tantum ab omni impietatis suspicione vel sacræ paginæ oppositione abesse, ut potius religioni inservire atque ancillari videatur, hæc

pauca eo libentius hic posui, cum perspexerim Virum Eximium & Illustrissimum D.D. *Leibnizium* in lib. Theodicée non ab hac sententia, sed a contraria potius abhorrere. Jesuitarum quoque doctrina de Opinionum Probabilitate omnis veritatis & Religionis vim plane destruere nullus non videt, cum nulla opinio sit tam absurda atque scelesta & impense impia quin inveniat Doctorem unum vel alterum qui eam alacriter & non invita minerva defendant. Ambigua denique vocis *natura* & usurpatio vaga, paulo diligentius expendenti manifestum erit, ipsos ita Deum committere cum rebus creatis ut vel Deum & naturam causas socias statuant, juxta illud: *Deus & natura nihil faciunt frustra*, vel sub vocis *natura* involucro Dei existentiam eripiant, hoc facit Senec. lib. IV. de Beneficiis L. VII. Natura igitur nihil sine Deo est nec Deus sine natura, sed idem est uterque. Et Epist. 92. *Totum hoc, quo continemur, & unum est & Deus.* Eadem mente Marcus Antonius in L. VII. de se ipso, artic. 9. Κόσμος εἷς διὰ ἁπάντων; καὶ Θεὸς εἷς διὰ πάντων καὶ οὐσία μία. *Mundus per omnia & Deus unus per omnia*

 una

una substantia. Ideoque hæc opinio fons maximus Atheismi ut erudite docuit Robertus Boyle in Tract. de ipsa natura Sect. IV. nec non Celebratissimus Sturmius, Professor, dum viveret, Altorfianus, in Disput. de *Idolo Naturæ.* Et imprimis dissoluta vita Academicorum ad genus humanum corrumpendum multum contribuit, hi enim animos, corpora & fortunas curaturi, authoritate plurimum valent apud alios hominum ordines, quam ob rem si Dei immortalis sint parum memores, totus grex facile inficitur, sed Academiæ hujus temporis, quæ pietatis templa, modestiæ & humanitatis palestra & virtutum omnium officinæ esse certe debent, in illis tamen male feriati juvenes, nullius plane frugis nidificant, nulla delectione ingeniorum aut bonorum morum habita. Huc faciunt verba Brunnamanni in Jure Ecclesiast. lib. I. *Vita Studiosorum Academica moderna forti Reformatione indiget, ne incidat porro in Neosophos Christianismi nostri, verissimi hostes & insectatores, qui hæc quatuor studia in Academiis tractanda esse putant, disputare, armis dimicare, potare, boare, pau-*

paucissimos vero sanctam pietatem practicare. Ejusdem generis sunt quæ sequuntur: *Vita ut proh dolor! plurimum a Studiosis, præsertim in Academiis, imo a Theologiæ cultoribus transigitur, vita est pene Ethnica, imo diabolica, & nihil Christi regulis magis contrariatur, quam regula inter eos consueta, ut, qui studiosus vocetur optimus, Cheistianus existat pessimus. Non vult esse* ἔννομ@, *disciplinæ, legi, aut ordini cuidam subjectus, sed* ἄνομ@, *persona legibus omnibus soluta, sine freno & habenis, non est miles, neque ambit militium, attamen discit artem chorearum, tempusque plurimum terit otio, & concupiscentiis carnalibus, vivit contra divina, & humana, & naturalia legum statuta, nocte ambulando, potando, ludendo, aliisque peccatis & vitiis enormibus, & semet Legum studiosum vocat; sanitatis suæ curam non gerit, & semet Medicinæ studiosum vocat; considerat male, raroque verbum Dei, & semet Theologiæ studiosum vocat. Discit vocabula, terminosque, hisque Philosophiæ studiosum se putat existere. Exercet homiliam, sed non*

facit; artem disputandi, & non diligit, percipit Thesin sine praxi., Antithesin, absque vera armorum divinorum cura. Eph. VI. Uno verbo, DEI Minister in Ecclesia cupit audire, & nil minus, quam de necessariis ad id pertinentibus cogitat. Frank. in Timoth. De quamplurimis, hæc Viri Doctissimi atque plane Evangelici verba sunt verissima, dantur tamen Deo sit gloria nonnulli optimi Juvenes a corruptis sodalium moribus abhorrentissimi. Dolendum sane communiter fere majorem rationem haberi magnæ doctrinæ quam conspicuæ pietatis, cum omnis doctrina est dempta pietate, venenum: & docto nebulone nihil sane Reipubl. aut Ecclesiæ funestius aut infelicius esse potest.

CAPUT III.

§. I.

EXpeditis præcipuis Atheismi causis, indoles ejus accuratius discutienda venit, proponendo certos characteres, atque notas, ex quibus Athei possint dignosci, cujusmodi sequentes, minime quidem contem-

temnendæ, I. Si omni occaſione data negaverint, aut in dubium vocaverint ſupernaturalia, miracula ſcilicet; Prophetias, apparitiones omnes atque operationes ſpirituum in Scriptura Sacra revelatas, cunctaque ad naturales ſympathias, ad fictas craſes, & peculiaria hominum temperamenta retulerint. II. Si Sacræ Scripturæ authoritatem, tam in hiſtoricis, quam in Dogmaticis, hominibus identidem Suſpectam reddant. III. Si metum omnem & juſtam ſollicitudinem omnibus excutere laboraverint, nihil niſi ſecuritatem & hilaritatem introduxerint, quorum vulgare axioma: *Ede, bibe, dormi, poſt mortem nulla voluptas.* IV. Si a cunctis animarum paſtoribus abhorreant, eosque tamquam aves infelices paſſim declinaverint & de iis contemptibiles habeant ſermones, ad *Bodonis* iſtius *Pratorii* exemplum, qui (tradente *Claſſenio Rel. Polit. cap. II.*) afferere non erubuit, ſe imperitiores in mundo non vidiſſe homines quam ſacerdotes, quod inepto & ſtolido inſerviant Vulgo, eique variis concionibus de regno Chriſti, DEI cultu, divina vindicta, & æterna damnatione

os oblinant. V. Si Atheismos aliorum cupide enarraverint, aut frigidam eorum rejectionem, aut elumbem refutationem subjunxerint, aut tanquam insolubilia quædam in medio relinquerint. VI. Si publicas Atheorum & Atheismi impugnationes ægerrime tulerint, cunctasque contra Atheos dissertationes, æquo animo ferre nesciant. VII. Si denique religionem ac pietatem nunquam raro aut parce admodum coluerint, sed impias opiniones identidem in cœlum extollere consueverint. Hæc & alia ejusdem generis refert *Voetius* in suis disputationibus contra Atheismum. Et *Buddeus* in sua Exercit. Juris natural. de pietate Philosophica; Sed circumspectione summa hic opus est, ne temere Atheismi notam viris bonis inuramus, siquidem tum hisce probandi vis inest, si juncta sint inter se, aut omnia, aut pleraque, sicque nobis cognita accurate sint & explorata. Utcunque sit, cum suspiciones inde facile desumantur, dandaque opera, ut tanto melius nobis caveamus, aliosque incautiores cavere præmoneamus ab hujus furfuris hominibus, atque præcipue hoc signum attendant quod vide-

videtur instar omnium, si fatalem aliquam necessitatem obtrudere videantur, ut omnem libertatem imo mentem ipsam jugiter excludant, & solam materiam, unicum rerum omnium agnoscant principium, affirmantes extensionem esse materiæ Ideam inadæquatam, tum cogitationem & conscientiam ejusdem esse proprietates, atque modos, & ad adæquatum materiæ conceptum pertinere, quia nemo unquam negabit esse Deum, qui mentem & intelligentiam distinctam a materia posuerit. Qui vero substantiam incorpoream negaverit, necessario deveniet Atheus.

§. 2. Priusquam ad Atheorum historiam ventum fuerit, necesse est, ut vocem *Atheus* ad unam ideam restringamus, quippe quæ plures habet significationes, valdeque æquivoce passim usurpatur ab authoribus, ita ut singulæ sectæ diversæ, se invicem opprobrii causa Atheos vocitent. Sic Apostata *Julianus* Christianismum vocat *Atheismum*. Sozom. lib. 5. cap. 15. imo ante Julianum Christianæ fidei Professores vulgo Atheos fuisse nuncupatos constat ex Clem. Alex. Strom. VII. apud Judæos *Epicureus*

 scil.

scil. Atheus & מין scil. *Hæreticus* & *Christianus* sunt Synonyma, ut videre est apud R. Mos, Maimon. tract. de Idololatr. Sunt & Pontificii, qui Ecclesias nostras turpissimo Atheismi stigmate notare non erubescunt. Sic *Cornel. a Lapide in 2. Tim. III. asserere non dubitat Lutheranismum & Calvinismum tandem abire in Atheismum, eorumque asseclas fieri libertinos.* Qui quosdam ex suis sæpe sæpius eodem stigmate deturpat, Gallos puta & Venetos, qui nutibus Curiæ Romanæ se non manciparunt. Vide Spizelium, imo neque Erasmus neq; Grotius potuerunt fœdam hanc Atheismi notam evitare, ea est in Scriptoribus quibusdam acerbitas animi & iniquitas. Sed calumniosa hac significatione nunc missa, nos intelligimus per Atheum hominem talem, qui aut ignorat esse Supremum Numen (uti forte nonnulli inter incultas nationes atque barbaras, qui bestiarum more nihil fere cognoscunt, nisi quæ ad victum & libidinem attinent, si qui tales sunt eos docere oportet ratiocinari, ut seipsos & res creatas cognoscant,) aut qui credit & sibi persuadet nullum esse Deum, vel saltem jugiter dubitat,

an

an existat, etiamsi aliquando habeat suos Conscientiæ morsus atque Scrupulos, (fiducia enim nulli sectæ est essentialis,) Christiani etiam habent suos scrupulos, qui tamen neutiquam destruunt eorum Christianismum: sed de his supra. Vocantur & Athei passim qui Providentiam, Animæ immortalitatem, Resurrectionem atque Ultimum Judicium negant; Per consequentiem, & indirecte, concedo, sed si illi ipsi consequentias nostras non agnoverint, non illico Atheismi stigmate sunt notandi, etiamsi crassissimum errent errorem, respectu Religionis Christianæ. Ideoque debemus magis proprie loqui addiscere, atque res quasque denotare suis nominibus, alioquin viri probi per calumniam probrosa atque execranda ista appellatione nominandi venient. Apud *Voetium* tot divisiones, subdivisiones, tot gradus Atheismi, atque species, ut omnes mortales in una harum classe vel altera tantum non recensendi veniant.

Prætermissis itaque omnibus divisionibus parum necessariis, dispescimus illos homines, qui dicuntur, numen supremum negasse

gasse in tres ordines, quorum primus erit illorum Antiquorum Philosophorum, de quorum *tamen Atheismo nihil certi habetur*.

Sed adhuc sub judice lis est, quia procul dubio male audiebant omnes, qui de simulachris & pluralitate duorum non ita benigne sentiebant. Deinde accuratius tractabimus de istis, qui videntur ex proposito contra existentiam DEI disputasse, qui possunt nominari Athei systematici. Denique de istis, qui identidem apud historicos summo cum contemptu de DEO loquentes inveniuntur, quinimo ejus essentiam plane negare, sed suas blasphemias nullas argumentis sustinere. Hoc homines vocat *Cudvvorthius* Atheos Enthusiasticos. De Antiquitate Atheismi, ex sacris literis nihil constat, quum Moses in Historia creationis nullis controversiis se immisceat, sed res gestas fideliter enarret, neque verosimile est, in primordiis mundi & incunabulis, fuisse Atheos, cum Origenes rerum cum posteris a Majoribus, utpote grandævis, commodissime possent communicari. Ante diluvianos impense fuisse sceleftos abunde constat,

conſtat, ſed nullum eos agnoviſſe Numen nullibi liquet. Neque ſtatim poſt diluvium videntur fuiſſe Athei, cum a filiis Nohæ ad Seros Nepotes hiſtoriam diluvii atque cauſas traditas fuiſſe ſit veriſimile; Imo adeo primævis temporibus abhorruerunt ab Atheiſmo, ut Polytheiſmum, atque Idololatriam adſtruerent, ut ex Hiſtoria Chaldæorum, Ægyptiorum, aliarumque Nationum abunde patet, & valde eſt ſimile vero, hanc Idololatriam atque Polytheismum ſuperſtitioſum quemadmodum ſupra memorabam, primam anſam dediſſe Atheiſmo: atque, uti ſuperſtitio & Polytheiſmus videntur fuiſſe inventæ, a ſimplicibus colonis, qui vitam agebant Paſtoralem, ita Atheiſmum opinor fuiſſe inventum in ſequentibus Seculis, poſtquam homines vitam civilem incepiſſent agere, & mercaturam colere, quæ plerumque acuit ingenia hominum, atque reddit eos cupidiſſimos novitatis, ut raro acquieſcant priusquam cognoſcant cauſas rerum. *Antonius Reiſnerus* de Origine & Incremento Atheiſmi, Cainum primum aſſerere videtur fuiſſe Atheum: At e Paradiſo quidem eliminatus

Judicium, & nou est Judex, & non est seculum futurum, & non est justis redditio præmii, & non est ultio impiis. *Respondit Abel & dixit:* Est Judicium, & est Judex, & est seculum futurum, & est expectatio præmii justis, *& sumtio ultionis ab impiis.* Quid in hoc desiderari jure possit colloquio: jam non attendo, illud solum observans, juxta antiquam Ecclesiæ Judaicæ sententiam Caino non injuria imputari posse *Atheismum* ob id, quia diserte satis, etsi non ipsam Dei existentiam, Providentiam tamen ejus & Justitiam, quin & extremum negavit Judicium, quod ex iis etiam non obscure manifestum fieri potest, quæ ex ore ejus prolata in Mosaicis Annalibus narrantur. Sicut autem extremum negare aut in dubium vocare judicium infra ex instructione *Petrina* videbimus esse Empæctarum, quos Atheorum fratres non immerito dixeris; ita de Providentia Dei creatoris securius, quam par est, loqui & sentire, ad *Atheismum* proximius accedere, antiqui Ecclesiæ Doctores jam dudum monuere, contra eos ex Gentilium Scriptorum numero, quorum contra Providentiam pronunciata copiose satis

ſatis collegit & diligenter digeſſit *Barthius* in ſuis ad *Claudianum* Poetam animadverſionibus, citatis etiam pluribus ex antiquitate Scriptoribus, qui cauſam Dei ſollicitiſſime curam mortalium habentis contra injurioſiſſimos ejusdem obtrectatores ſingulari induſtria egerunt, quibus e Schola Græcorum omnino addi meretur *Euripides* Tragicus, cujus illuſtre pro Dei in creaturas ſollicitudine teſtimonium, ut in ſuis *Lectionibus Sacris* extaret, dignum cenſuit *Rittershuſius.*

Equidem Rabbini aſſerunt, Moſem incepiſſe Librum Geneſeos cum his בראשית ברא *in initio creavit cœlos & terram:* littera ב Ibi volunt habere Senſum Beth Inſtrumentalis, ut ſenſus ſit: Deus creavit cœlum, &c. Cum eorum principio לבטל רעת המינין (i.e.) *Ad deſtruendum opinionem Atheorum vel Hæreticorum*, qui affirmabant, unicum rerum omnium principium eſſe materiam, eandemque eſſe æternam. Vide *Michol Jophi* ad Geneſin. Si qua ineſt vis eorum conjecturis, patet, tempore Moiſis fuiſſe Atheos, niſi mavis, per prolepſin ita ſcripſiſſe Moſem. Sed

facit; artem disputandi, & non diligit, percipit Thesin sine praxi., Antithesin, absque vera armorum divinorum cura. Eph. VI. Uno verbo, DEI Minister in Ecclesia cupit audire, & nil minus, quam de necessariis ad id pertinentibus cogitat. Frank. in Timoth. De quamplurimis, hæc Viri Doctissimi atque plane Evangelici verba sunt verissima, dantur tamen Deo sit gloria nonnulli optimi Juvenes a corruptis sodalium moribus abhorrentissimi. Dolendum sane communiter fere majorem rationem haberi magnæ doctrinæ quam conspicuæ pietatis, cum omnis doctrina est dempta pietate, venenum: & docto nebulone nihil sane Reipubl. aut Ecclesiæ funestius aut infelicius esse potest.

CAPUT III.

§. I.

EXpeditis præcipuis Atheismi causis, indoles ejus accuratius discutienda venit, proponendo certos characteres, atque notas, ex quibus Athei possint dignosci, cujusmodi sequentes, minime quidem contem-

temnendæ, I. Si omni occaſione data negaverint, aut in dubium vocaverint ſupernaturalia, miracula ſcilicet, Prophetias, apparitiones omnes atque operationes ſpirituum in Scriptura Sacra revelatas, cunctaque ad naturales ſympathias, ad fictas craſes, & peculiaria hominum temperamenta retulerint. II. Si Sacræ Scripturæ authoritatem, tam in hiſtoricis, quam in Dogmaticis, hominibus identidem Suſpectam reddant. III. Si metum omnem & juſtam ſollicitudinem omnibus excutere laboraverint, nihil niſi ſecuritatem & hilaritatem introduxerint, quorum vulgare axioma: *Ede, bibe, dormi, poſt mortem nulla voluptas*. IV. Si a cunctis animarum paſtoribus abhorreant, eosque tamquam aves infelices paſſim declinaverint & de iis contemptibiles habeant ſermones, ad *Bodonis* iſtius *Pratorii* exemplum, qui (tradente *Claſſenio Rel. Polit. cap. II.*) aſſerere non erubuit, ſe imperitiores in mundo non vidiſſe homines quam ſacerdotes, quod inepto & ſtolido inſerviant Vulgo, eique variis concionibus de regno Chriſti, DEI cultu, divina vindicta, & æterna damnatione

os obfirmant. V. Si Atheismos aliorum cupide enarraverint, aut frigidam eorum rejectionem, aut elumbem refutationem subjunxerint, aut tanquam insolubilia quædam in medio relinquerint. VI. Si publicas Atheorum & Atheismi impugnationes ægerrime tulerint, cunctasque contra Atheos dissertationes, æquo animo ferre nesciant. VII. Si denique religionem ac pietatem nunquam raro aut parce admodum coluerint, sed impias opiniones identidem in cœlum extollere consueverint. Hæc & alia ejusdem generis refert *Voetius* in suis disputationibus contra Atheismum. Et *Buddeus* in sua Exercit. Juris natural. de pietate Philosophica; Sed circumspectione summa hic opus est, ne temere Atheismi notam viris bonis inuramus, siquidem tum hisce probandi vis inest, si juncta sint inter se, aut omnia, aut pleraque, sicque nobis cognita accurate sint & explorata. Utcunque sit, cum suspiciones inde facile desumantur, dandaque opera, ut tanto melius nobis caveamus, aliosque incautiores cavere præmoneamus ab hujus furfuris hominibus, atque præcipue hoc signum attendant quod vide-

videtur instar omnium, si fatalem aliquam necessitatem obtrudere videantur, ut omnem libertatem imo mentem ipsam jugiter excludant, & solam materiam, unicum rerum omnium agnoscant principium, affirmantes extensionem esse materiæ Ideam inadæquatam, tum cogitationem & conscientiam ejusdem esse proprietates, atque modos, & ad adæquatum materiæ conceptum pertinere, quia nemo unquam negabit esse Deum, qui mentem & intelligentiam distinctam a materia posuerit. Qui vero substantiam incorpoream negaverit, necessario deveniet Atheus.

§. 2. Priusquam ad Atheorum historiam ventum fuerit, necesse est, ut vocem *Atheus* ad unam ideam restringamus, quippe quæ plures habet significationes, valdeque æquivoce passim usurpatur ab authoribus, ita ut singulæ sectæ diversæ, se invicem opprobrii causa Atheos vocitent. Sic Apostata *Julianus* Christianismum vocat *Atheismum*. Sozom. lib. 5. cap. 15. imo ante Julianum Christianæ fidei Professores vulgo Atheos fuisse nuncupatos constat ex Clem. Alex. Strom. VII. apud Judæos *Epicureus*

 scil.

ſcil. Atheus & מין ſcil. *Hæreticus* & *Christianus* ſunt Synonyma, ut videre eſt apud R. Mos, Maimon. tract. de Idololatr. Sunt & Pontificii, qui Eccleſias noſtras turpiſſimo Atheiſmi ſtigmate notare non erubeſcunt. Sic *Cornel. a Lapide in 2. Tim. III. aſſerere non dubitat Lutheraniſmum & Calvinismum tandem abire in Atheiſmum, eorumque aſſeclas fieri libertinos.* Qui quosdam ex ſuis ſæpe ſæpius eodem ſtigmate deturpat, Gallos puta & Venetos, qui nutibus Curiæ Romanæ ſe non manciparunt. Vide Spizelium, imo neque Eraſmus neq; Grotius potuerunt fœdam hanc Atheiſmi notam evitare; ea eſt in Scriptoribus quibusdam acerbitas animi & iniquitas. Sed calumnioſa hac ſignificatione nunc miſſa, nos intelligimus per Atheum hominem talem, qui aut ignorat eſſe Supremum Numen (uti forte nonnulli inter incultas nationes atque barbaras, qui beſtiarum more nihil fere cognoſcunt, niſi quæ ad victum & libidinem attinent, ſi qui tales ſunt eos docere oportet ratiocinari, ut ſeipſos & res creatas cognoſcant,) aut qui credit & ſibi perſuadet nullum eſſe Deum, vel ſaltem jugiter dubitat,

an

an existat, etiamsi aliquando habeat suos Conscientiæ morsus atque Scrupulos, (fiducia enim nulli sectæ est essentialis,) Christiani etiam habent suos scrupulos, qui tamen neutiquam destruunt eorum Christianismum: sed de his supra. Vocantur & Athei passim qui Providentiam, Animæ immortalitatem, Resurrectionem atque Ultimum Judicium negant; Per consequentiem, & indirecte, concedo, sed si illi ipsi consequentias nostras non agnoverint, non illico Atheismi stigmate sunt notandi, etiamsi crassissimum errent errorem, respectu Religionis Christianæ. Ideoque debemus magis proprie loqui addiscere, atque res quasque denotare suis nominibus, alioquin viri probi per calumniam probrosa atque execranda ista appellatione nominandi venient. Apud *Voetium* tot divisiones, subdivisiones, tot gradus Atheismi, atque species, ut omnes mortales in una harum classe vel altera tantum non recensendi veniant.

Prætermissis itaque omnibus divisionibus parum necessariis, dispescimus illos homines, qui dicuntur, numen supremum negasse

gasse in tres ordines, quorum primus erit illorum Antiquorum Philosophorum, de quorum *tamen Atheismo nihil certi habetur*.

Sed adhuc sub judice lis est, quia procul dubio male audiebant omnes, qui de simulachris & pluralitate duorum non ita benigne sentiebant. Deinde accuratius tractabimus de istis, qui videntur ex proposito contra existentiam DEI disputasse, qui possunt nominari Athei systematici. Denique de istis, qui identidem apud historicos summo cum contemptu de DEO loquentes inveniuntur, quinimo ejus essentiam plane negare, sed suas blasphemias nullas argumentis sustinere. Hoc homines vocat *Cudvvorthius* Atheos Enthusiasticos. De Antiquitate Atheismi, ex sacris literis nihil constat, quum Moses in Historia creationis nullis controversiis se immisceat, sed res gestas fideliter enarret, neque verosimile est, in primordiis mundi & incunabulis, fuisse Atheos, cum Origenes rerum cum posteris a Majoribus, utpote grandævis, commodissime possent communicari. Antediluvianos impense fuisse scelestos abunde constat,

conſtat, ſed nullum eos agnoviſſe Numen nullibi liquet. Neque ſtatim poſt diluvium videntur fuiſſe Athei, cum a filiis Nohæ ad Seros Nepotes hiſtoriam diluvii atque cauſas traditas fuiſſe ſit veriſimile; Imo adeo primævis temporibus abhorruerunt ab Atheiſmo, ut Polytheiſmum, atque Idololatriam adſtruerent, ut ex Hiſtoria Chaldæorum, Ægyptiorum, aliarumque Nationum abunde patet, & valde eſt ſimile vero, hanc Idololatriam atque Polytheismum ſuperſtitioſum quemadmodum ſupra memorabam, primam anſam dediſſe Atheiſmo: atque, uti ſuperſtitio & Polytheiſmus videntur fuiſſe inventæ, a ſimplicibus colonis, qui vitam agebant Paſtoralem, ita Atheiſmum opinor fuiſſe inventum in ſequentibus Seculis, poſtquam homines vitam civilem incepiſſent agere, & mercaturam colere, quæ plerumque acuit ingenia hominum, atque reddit eos cupidiſſimos novitatis, ut raro acquieſcant priusquam cognoſcant cauſas rerum. *Antonius Reiſnerus* de Origine & Incremento Atheiſmi, Cainum primum aſſerere videtur fuiſſe Atheum: At e Paradiſo quidem eliminatus

rus *Atheismus*, non item ex corde humano, ubi semel malum hoc semen radices egit, nunquam plane & omnino eradicandum, quin potius propagandum & ab ipsis statim Protoplastis in posteros propagatum, generantibus non ad Dei imaginem & similitudinem, o quantam ab illa mutatam, imo plane inversam & a Deo aversam! Eva quidem Mater, ubi primum peperit filium, Promissionis divinæ de benedicto semine mulieris, serpentis paradisiaci futuro contritore, memor, alta exclamavit voce: *Possedi Virum Dominum*, indubia, adesse jam tempus, quo impletum iri speravit id, quod cum viro multis, ut probabile videtur, suspiriis a Deo precata est. Sed multum, plurimumque falsa, dum loco ejus, quem Dei filium, Dominum esse existimavit, *ὁμόθεον* videlicet; *atheum* enixa est, Cainum videlicet, hominem omnium vitiorum possessorem, ab omnibus vitiis obsessum, Antitheum, hypocritam, divini cultus contemtorem, adflictissimorum parentum cordolium, fratricidam nefandum, & quid non? Ne id frustra dixisse videar, sufficere præter ea, quæ sacer codex de

ne-

nefandis criminibus & flagitiis ejus detestandis cum memorabilibus circumstantiis memorat, potest colloquium illud, quod inter Cainum & Abelem intercessisse in *Jonatha* paraphrasi & Targum *Hierosolymitano* legitur, ubivis quidem apud interpretes obvium, dignum tamen, quod & hic legatur, utpote rei præsenti valde accommodum, quod & versione *D. Quistorpii* ita habet: *Dixit Cain ad fratrem suum*, Veni, exibimus foras. *Et accidit, cum exiissent ambo foras, respondet Cain & dixit ad Abel:* Cogito mecum, quod Mundus quidem creatus sit per misericordiam divinam; verum non gubernetur juxta meritum bonorum operum, sed ibi habetur respectus personarum in judicando. Nam cur oblatio tua accepta est in gratia, & oblatio mea non accepta est. *Respondit Abel & dixit:* Omnino per misericordiam divinam creatus est mundus, & juxta fructum bonorum operum gubernatur, neque est personarum respectus in judicando. Et quia fructus operum meorum erant boni præ tuis, ideo acceptata est oblatio mea in gratia. *Respondit Cain & dixit ad Abel:* Non est

Ju-

Judicium, & nou est Judex, & non est seculum futurum, & non est justis redditio præmii, & non est ultio impiis. *Respondit Abel & dixit:* Est Judicium, & est Judex, & est seculum futurum, & est expectatio præmii justis, *& sumtio ultionis ab impiis.* Quid in hoc desiderari jure possit colloquio: jam non attendo, illud solum observans, juxta antiquam Ecclesiæ Judaicæ sententiam Caino non injuria imputari posse *Atheismum* ob id, quia diserte satis, etsi non ipsam Dei existentiam, Providentiam tamen ejus & Justitiam, quin & extremum negavit Judicium, quod ex iis etiam non obscure manifestum fieri potest, quæ ex ore ejus prolata in Mosaicis Annalibus narrantur. Sicut autem extremum negare aut in dubium vocare judicium infra ex instructione *Petrina* videbimus esse Empæctarum, quos Atheorum fratres non immerito dixeris; ita de Providentia Dei creatoris securius, quam par est, loqui & sentire, ad *Atheismum* proximius accedere, antiqui Ecclesiæ Doctores jam dudum monuere, contra eos ex Gentilium Scriptorum numero, quorum contra Providentiam pronunciata copiose satis

ſatis collegit & diligenter digeſſit *Barthius* in ſuis ad *Claudianum* Poetam animadverſionibus, citatis etiam pluribus ex antiquitate Scriptoribus, qui cauſam Dei ſollicitiſſime curam mortalium habentis contra injurioſiſſimos ejusdem obtrectatores ſingulari induſtria egerunt, quibus e Schola Græcorum omnino addi meretur *Euripides* Tragicus, cujus illuſtre pro Dei in creaturas ſollicitudine teſtimonium, ut in ſuis *Lectionibus Sacris* extaret, dignum cenſuit *Rittershuſius*.

Equidem Rabbini aſſerunt, Moſem incepiſſe Librum Geneſeos cum his בראשית ברא *in initio creavit cœlos & terram*: littera ב Ibi volunt habere Senſum Beth Inſtrumentalis, ut ſenſus ſit: Deus creavit cœlum, &c. Cum eorum principio לבטל רעת המינין (i.e.) *Ad deſtruendum opinionem Atheorum vel Hæreticorum*, qui affirmabant, unicum rerum omnium principium eſſe materiam, eandemque eſſe æternam. Vide *Michol Jophi* ad Geneſin. Si qua ineſt vis eorum conjecturis, patet, tempore Moiſis fuiſſe Atheos, niſi mavis, per prolepſin ita ſcripſiſſe Moſem. Sed

quicquid sit, frustra fuisset si scriptor sacer de Atheis scripsisset, sed potius ex pura ratione, quia Scriptura supponit esse Deum, & ad opera Creationis contemplanda passim locorum invitat homines.

CAPUT IV.

§. I.

Missa itaque *Palestina*, in *Graciam* transfretemus, ubi, postquam Poetæ animos hominum fabulis anilibus corrupissent, ut de Diis crederent, quæ viro bono plane essent indigna, ita ut non possent non odio habere, & prorsus negare, talem Deum, turpes amores atque vagos exercentem, ex æquo & bono debere existere; Hinc forsan ista Gigantomachia *Lucretii*:

Humana ante oculos fœde cum vita jaceret,
In terris, oppressa gravi sub religione,
Primum Graius homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra,

Quare

Quare religio pedibus ſubjecta viciſſim
Obteritur, nos exaquat victoria cœlo.

Quæ Carmina, etiamſi ad *Epicurum* referenda, tamen non eſt quod dubitemus, ante ejus tampora fuiſſe ejusdem ſententiæ viros, cum *Ariſtotcles*, Metaph. lib. 1. c. 3. affirmat, fuiſſe antiquiſſimos qui crediderint, omnia ab Oceano & Theti fuiſſe derivata, vel, aquam eſſe rerum omnium principium. Inde eſt quod Poetæ per *Stigem* jurare ſoliti, utpote rerum omnium antiquiſſimam: *Plato* inſuper in *Theato* aſſerit, Sectam iſtam, quæ nullum aliud præter materiam agnoſceret principium, eſſe antiquiſſimam; ὅλα πάντα ἔγονα ῥοῆς δὲ καὶ κινήσεως. (i. e. *omnia eſſe a fluxu & motu generata.* Atque Homer. ejusdem Atheiſmi, *Cudvvorthio* judice, poſtulandus, cum ex iisdem principiis producit omnes Deos. Ὠκεανὸν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα τηθύν. Scilic. *Oceanum eſſe Patrem & Thetim matrem Deorum*, Vel ut alii, ex chao & nocte, quæ poſuit ovum, & ex iſto ovo productus eſt amor, qui ſe de novo, cum chao immiſcens, cœlum & terram & animalia generavit; ut videre eſt apud *Ariſtophanem* de

 avibus,

avibus. Sunt equidem, qui existimant, Philosophos istos atque Poetas ad Historiam Mosaicam alludere, quia dicitur spiritum motitasse super aquas, sed *Salmasius* existimat, hasce fabulas Cabbalam Atheisticam multum sapere, quæ supposuit, Chaos esse omnium rerum principium, utpote æternum, sed sensim in ordinem motu proprio redacta fuisse, primum scilicet res inanimatas produxit, posthæc animalia, atque homines, denique ipsos Deos. *Hesiodus* tamen, atque Parmenides Atheismi minime sunt postulandi, cum per *Amorem* videantur principium aliquod activum intelligere, neque amorem a Chao & nocte, quemadmodum alii fecerunt, derivant.

§. 2. Sed quandoquidem pictoribus, atque Poetis quidlibet fingendi semper fuit æqua potestas eos nimium exagitare non non est operæ pretium, ad Philosophos antiquiores nos accingimus, qui affirmabant, quod ὕλη & πάθη τῆς ὕλης essent unica rerum principia (i. e.) materiam *ejusque qualitates, vel formas.* Inter quos, teſtante *Aristotele Thales* fuit ἀρχηγὸς τῆς τοιαύτης φιλοσοφίας. (i. e.) princeps istius Phi-

Philoſophiæ, cum omnia ab aqua deduceret, nullo admiſſo principio activo, ſed injuria *Thaleti* tribuitur hæc impietas, cum apud *Diogenem Laertium* affirmet, mundum eſſe a Deo factum, & Deum omnium rerum antiquiſſimum, quippe ingenitum, cui ne quidem cogitationes mortalium latere poſſunt. Huc accedit teſtimonium: *Valer. Max. lib. 7, cap. 2.* mirifice *Thales*, nam interrogatus, *an facta hominum Deos fallerent, nec cogitata, inquit.* Sed D. Bælius aſſerit, hæc dicta ab aliquibus authoribus *Pittaco* tribui, ita ut, non adeo certum ſit, *Thaletem* de Deo tam religioſe loquutum fuiſſe; ſed quid quæſo obſtat, quo minus ambo in eadem cogitata atque verba inciderent, ut paſſim fit, cum de rebus valde obviis inſtituendus eſt ſermo. Quod attinet rerum omnium productionem ex aqua, haud ita incommode argumentari videtur, cum forſitan ſenſu Chymico loqui voluerit. Multis experimentis *Boyleus* in libro, cui titulus *The uſefulneſſe of natural Philoſophy*, demonſtrat multa alia corpora derivare poſſe ab aqua. Dicitur etiam apud *Diogenem Laertium*, Tha-

les primum omnium docuit animæ immortalitatem, & rogatus quid esset velocissimum, respondit, *Mens*, nam per Universum discurrit: Iterum interrogatus, quid est Deus? respondisse dicitur, *quod initio* & fine caret, quæ omnia abunde probant, Thaletem principium aliquod activum, vel Mentem a Materia distinctam agnovisse.

§. 3. Sed etiamsi *Thales* pie Philosophetur, non omui plane crimine vacuus videtur fuisse ejus discipulus, nomine *Anaximander*, qui meliore jure ἀρχηγὸς τῆς τοιαύτης φιλοσοφίας nominandus, (i.e.) nullum Principium activum agnoscens, sed materiæ omnia tribuens, imo materiam aliquam primam, eamque infinitam supponens. Οὗτος ἔφασκεν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον, τὸ ἄπειρον οὐ διορίζων ἀέρα, ἢ ὕδωρ ἢ ἄλλο δὲ, καὶ τὰ μὴν μέρη μεταβάλλειν, τὸ δὲ πᾶν ἀμετάβλητον εἶναι. (i. e.) Principium & rerum omnium Elementum esse infinitum, cujus partes mutabiles. Vide *Diogen. Laertium.* Neque est, quod mireris *Axaximandrum* aliosque *Materialistas*, materiam omni intellectu vacuam, aliquando divinam, aliquando numen appellare, quum illi nihil anti-

antiquius, aut divinius agnoscerent, quam materiam stupidam, neque dubitarent alia Dei attributa illi tribuere. Sed ut eo magis pateat ejus Philosophiam fuisse impiam, lubet describere verba *Plutarchi*, lib. de placit. *Anaximander Milesius affirmat infinitum esse primum principium, & ex eo omnia generari, & in idem corrumpi, ideoque mundos infinitos, alternatim generari & corrnmpi; Sed in hoc errat, cum posuerit tantum causam materialem, principium activum prorsus tollendo, quia infinitum Anaximandri nihil aliud est quam materia, quæ sine causa activa & efficiente nihil potest producere.* Unde patet ejus *infinitum* non fuisse mentem, prout voluit *Clemens Alexandr.* in Protrept. Corripitur & a *Cicerone* ejus opinio lib. de natura Deorum. *Anaximandri sententia est, nativos esse Deos, longis intervallis orientes occidentesque, sed nos Deum nisi Sempiternum intelligere qui possumus?* Plura de ejus opinione apud *Eusebium* lib. de præparat. Evangel. quorum summa huc redit, homines ex ventre aliorum animalium fuisse natos. Eandem de eo ridiculam histo-

riam refert Plutarchus. Hic videtur primus fuisse, qui Philosophatus est per formas atque qualitates, nullam substantiam incorpoream admittens.

§. 4. Hujus Sectæ erat *Anaximenes Eurystrati* Filius *Milesius*, qui nullum aliud agnovit principium præter aerem, atque infinitum. Hujus discipulus fuit *Diogenes* Apolloniates, qui hoc modo Philosophatus est, Elemeutum esse aerem, mundos esse infinitos, & inane infinitum, densumque aerem & rarescentem mundos gignere: Nihil ex eo, quod non sit, fieri; neque id quod non sit corrumpi. *Cicero de Nat. Deorum*, hæc habet: *Quid? aer, quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem sensum habere potest, aut quam formam Dei?* Hinc *Augustinus* de Civit. Dei lib. 8. cap. 2. *Diogenes* quoque Anaximenis *alter auditor, aerem quidem dixit rerum esse materiam, ex qua omnia fierent, sed eum non esse compotem divinæ rationis, sine qua nihil ex eo fieri possit.* Sed judicio D. *Baylii*, aer habuit rationem materiæ tantum, a divina mente agitatus, ideoque eum non esse purum putum Atheum, cum cognosceret aliquid

aliquid diſtinctum a materia, animam mundi puta, ut multi Theiſtæ, qui Deum aliquem corporalem agnoverunt, niſi potius eos Atheiſtas nominaveris, qui cogitationem & perceptionem, materiæ eſſe modos atque proprietates affirmavere. Utcunque ſit, *Cudvvorthius* omnes fere Philoſophos Jonicæ Sectæ, *Thalete* excepto, ejusmodi Atheiſmi poſtulat, ut nullum præter materiam principium agnoſcerent, inſuper probat, *Anaxagoram* Clazomenium *Anaximenis* diſcipulum, primum eſſe poſt *Thaletem*, qui Philoſophando materiæ, mentem adjecit, inde *Timonis* carmen de eo apud *Laertium*:

Nunc ibi Anaxagorus mens eſt, fortiſſimus heros,
Qui mentem ſubito, [nam mens non defuit illis]
Compoſuiſſe putat, fuerunt quæ in condita quondam.

Erat procul dubio Vir egregius, quod abunde patet ex vitæ inſtituto atque ex ſermonibus: patrimonium non modicum cognatis, ſponte ſua conceſſit; atque cuidam illum ita compellanti nullane tibi patriæ cura

eſt: retulit, mihi vero patriæ cura, & quidem ſumma eſt, digitum in cœlum extendens. Reſponſio profecto viro Chriſtiano etiam digniſſima: ſed cum affirmaret, ſolem candens ferrum, & Peloponeſo majorem eſſe, lunam habitacula in ſe habere, & colles, & valles, ſtigma Atheiſmi ab Athenienſibus evitare non potuit, etiamſi magnopere a Pericle ſuo diſcipulo, Athenienſium principe defenſus diu fuiſſet, tandem a civibus in exilium pulſus & Lampſaceni diem obiit extremum, & ibidem hoc Epitaphium eſt meritus,

Cardentem ferri muſſam Phaetonta putavit
Quondam, & ob id morti addictus Anaxagoras;
Hunc tamen incolumen Pericles ſervavit; & ille
Rurſus ob inviſam perdidit inſcitiam.

Ex *Anaxagoræ* infelici fato, ſatis patet, iniquiſſimum eſſe vulgus Atheiſmi judicem; quamplures enim puros putos Atheos intactos dimiſerunt, aliosque Numen ſupremum agnoſcentes, pro Atheis morte vel exilio multarunt, nullam aliam ob cauſam, quam

quam quod ausi fuerint affirmare, simulachra & imagines non esse Deos, ut testatur *Plato*, in apologia pro *Socrate*; & eadem de causa Christiani a Gentilibus nominabantur Athei, ut videre est apud *Justin. Martyrem.*

§. 5. *Empedoclem* Agrigentinum *Pythagoræ* discipulum, *Aristoteles* Atheismi postulare videtur cum affirmat, *Empedoclem* animam asserere ex quatuor elementis esse compositam, & partes animalium fortuito ita esse dispositas, non vero ex consilio alicujus causæ efficientis; porro intellectionem nihil aliud esse quam sensus; sed postremum parvi est momenti, quam sensus & intellectus sæpenumero pro synonymis haberi soleant; & quod attinet primum, ab omni impietatis criminatione verba ejus apud *Clement. Alexandr*, allegata, quorum summa latine huc redit: *Si sancte & juste vivamus, in hac vita erimus felices, & post mortem feliciores, cum circumstantia temporis non affixa sit nostra felititas, sed in perpetuum cum spiritibus immortalibus convivia celebrabimus.* Multa etiam carmina, Empedoclis, quæ adhuc supersunt, satis

ſatis probant, illum fuiſſe divinum Philoſophum, & *Pythagoræ* Præceptoris aſſeclam Strenuum.

CAPUT V.

§. 1.

De his hactenus, jam ad Philoſophos *atomicos* tranſeat Oratio, inter quos *Leucippus* atque *Democritus* ſunt facile principes, quia illi fuerunt primi, qui ab atomis amoverunt ſubſtantiam incorpoream, quæ iis præſideret, & hoc modo mancum aliquod Philoſophiæ Syſtema condiderunt. *Laertius* ita de *Leucippo* ſcribit, placebat illi infinita eſſe omnia, & in ſeipſa commutari, atque univerſum illud inane, eſſe plenum corporibus: Mundosque fieri corporibus in hoc *inane* incidentibus, & in ſe invicem implicatis, atque ex motu, ſecundum illorum incrementa ſidera fieri, porro, ut generationem, ita & incrementa mundi, & diminutiones & corruptiones, ex quadam neceſſitate eſſe: porro πρῶτος τὲ ἀτόμεις ἀρχὸς ὑπεϛήσατο, (i. e.) primus hic atomos principia ſubjecit. Inſuper *Illuſtrius* *lib.*

lib. de Vita quorundam Philosophorum scribit, Leucippum primum insectibilia corpuscula rerum initia statuisse, & universum cum multis antiquioribus, fine carere statuit: Asseruit & Elementa, & mundos ex his infinitos esse, ut in elementa abire dissolvique: Mundos autem hac ratione fieri, ex infinito multa & figuris omnibus prædita corpuscula dissilire in magnum inane; quæ coacta rapiantur una vertigine, & circumacta, cujus impetu impacta & modis variis in orbem rotata, similia seorsim separari secernique contingat; quibus æquo momento libratis, & ob multitudinem circumagi nequientibus, exilia discedere ad exterius inane, veluti cribro increto, reliqua considere simul & complexu quodam in unum concurrere; primumque efficere coagulum quoddam sphæriforme, atque id seu fatus involucrum edi ac produci, in se omnigena corpuscula quæ ambit continens, quibus circa centri medii umbilicum circumrotatis, ambientem membranam extenuari dum semper continua corpuscula attactu vertiginis rapta in unum confluunt. Eaque ratione tellurem esse

esse factum, sidera omnia ignescere, ob concitatissimi motus celeritatem, a sideribus solem quoque flammam concipere, lunam vero paululum ignis participare credidit.

§. 2. Fuisse antiquiores *Leucippo*, qui philosophabantur per *Atomos*, quod supra innuimus, clarum est, sed isti adhibuerunt divinam atque incorpoream substantiam ad completum Philosophiæ systema adornandum, cujus pars una eaque minus nobilis *atomi*: hæc sunt verba *Strabonis* latine reddita, *Imo si Posidonio credimus, antiquum de atomis dogma Moschi est*, hominis Sidonii, qui ante Trojani belli tempora vixit. *Strab. lib. 6.* Idem affirmat *Sextus Empiricus*, sed Leucippum atque Democritum Authores esse hujus Philosophiæ, quatenus Atheisticæ, nemo, ni fallor, ibit inficias. (i. e.) *Leucippus*, *Democritus*, *Epicurus* distinctis, atque succedentibus temporibus, coluerunt, imo invenerunt hanc hypothesin, quæ omnia phænomena opera atomorum explicare conatur; atque ita impio ausu omnem substantiam incorpoream, & intelligentem prorsus proscribit.

Ideo-

Ideoque diligenter distinguendum inter doctrinam *atomorum* absolute sumptam, & eorum æternitatem, & fortuitum concursum, sine ullo sapiente moderatore omnia producente, quæ non immerito tribuitur *Leucippo* atque *Democrito*. Doctriua vero Atomorum uti formis substantialibus opposita, multo est antiquior, neque temere rejicienda; Ideoque illi concursui atomorum, utpote rerum omnium formatori; (animis humanis non exceptis) *Cicero* videtur opponere. Ista euim flagitia *Democriti*, sive etiam ante, *Leucippi*, esse corpuscula quædam lævia, alia aspera, alia rotunda, partim angulata, curvata quædam, & quasi adunca; ex his effectum esse cœlum atque terram, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito: lib. de natura Deor. *Lactantius* eleganter refutavit hanc Atheisticam hypothesin, sed quando conatur probare, non dari corpora minima invisibilia, satis infeliciter rem gessit, monstrans, se Theologiæ, quam Physicæ multo magis gnarum; neque abs re ejus verba hic nos describere, ut videamus, quam horride philosophati sint Patres:

Non

Non est, inquit, *providentia opus*, *sunt enim semina per inane volitantia*, *quibus inter se temere conglobatis universa gignuntur, atque concrescant: Cur igitur illa non sentimus, aut cernimus? Quia nec colorem habent inquit, nec odorem: Saporis quoque & humoris expertia sunt, & tam minuta, ut secari aut dividi nequeant, sic eum, quia in principio falsum susceperat, consequentiam rerum necessitas ad deliramenta perduxit, Ubi enim sunt, aut unde ista corpuscula? Cur illa nemo prater Leucippum somniavit? A quo Democritus hareditatem stultitia reliquit Epicuro. Qua si sint corpuscula & quidem solida, ut dicunt, sub oculos certe venire possunt.* Institut. lib. 3. cap. 17. Denuo, *Ubi aut unde sunt quaro, quis illa minuta semina vidit unquam? Quis sensit, quis audivit? An solus Leucippus oculos habuit, solus mentem? Qui profecto solus omnium cacus & excors fuit. qui ea loqueretur, qua nec ager quispiam delirare possit, nec dormiens somniare, &c.* Et mults ejus generis invenies, *lib. de ira Dei;* quæ profecto a Physicis hodiernis exploderentur

tur plane, utpote commiseratione aut cachinnatione digna; Nemo etenim est hominum experimentis instructus, qui meliora non noverit, patet enim dare corpuscula ita minuta, ut omnem oculorum aciem longissime fugiant, & quoad nos indivisibilia, etiamsi in se & mathematice divisibilia maneant. *Leucippus*, si substantiam incorpoream retinuisset, Vir omni laude fuisset dignissimus, testante *Thomâ Burnetto*. Archæolog. Philosoph. lib. 1. cap. 12. *Ad hanc Sectam Eclecticam aggregari solent Leucippus & Democritus, viri celebres & eximii, qui hypothesin atomorum invexerunt, quæ licet mea sententia falsa sit, & male fundata, dedit tamen occasionem philosophandi strictius & accuratius: Hi enim non quærunt corporum principia aut agendi vires inter numeros, harmonias, proportiones, ideas, qualitates aut formas elementares, ut ab aliis factum est: Sed ipsa adeunt corpora, eorumque conditiones physicas & mechanicas, examinant, motum, figuram, partium situm, tenuitatem & magnitudinem & similia: & ex his cujusque virtutes æstimant, actiones defini-*

 unt,

unt, effecta explicant, idque recte solideque. Quod vero has minutas indivisibiles esse vellent, aut inatum impetum habere, aut inclinationes ad certa loca, aut denique inanibus spatiis disjungi, hac & alia hujusmodi non tantum gratis dicta sunt, sed etiam clara rationi refragantur. Utcunque, cum viam aperuerint ad saniorem differendi modum circa res physicas, & in hac parte de Republica litteraria non male meruerint, illos laude sua ne fraudemus. Hanc præter cæteras coluerunt hypothesin, utpote magis ingeniosam, quam *Heracliticam*, aut *Anaximandricam*, quæ formas & qualitates supposuerunt & universam mundi formam esse Deum: Ita ut hæ hypotheses supponerent, mundum esse animal sapientissimum, partes suas prudenter dirigens, sed *Leucippus* cum asseclis, ne quando volentes, nolentes per hanc hypothesin cogerentur agnoscere non tantum Deum corporeum, sed etiam incorporeum, ab omni materia sejunctum & ab ea minime dependentem, formis substantialibus & qualitatibus quibuscunque nuncium remiserunt, ut liberius, & sine metu alicujus summi

mi numinis summo otio philosopharentur. Nihil præter motum, situm, magnitudinem, figuram, atque quietem materiæ tribuendo; sed hic turpiter eos fefellit opinio, quum nulla phænomena per concursum atomorum fortuitum, quin mille appareant absurditates, explicari possint, cum ipse motus præcipuum inter materiæ attributa, illi non sit essentialis.

§. 3. De *Leucippo* plus satis, de *Epicuro* multa restant dicenda, natione Milesius fuit, Damasippi filius, Magos atque Chaldæos habuit præceptores, a quibus & Theologiam, & Astrologiam didicit; quum adhuc puer esset, postea vero *Leucippum* convenit, & secundum quosdam *Anaxagoram*, quum annis quadraginta minor ætate quam ille esset. Insuper memoriæ traditum est, illum in Ægyptum contendisse ad sacerdotes, Geometriam percepturum. Non defuere, qui dicerent, eum cum Gymnosophistis in India congressum esse: denique in Æthiopiam venisse, atque rem familiarem in itineribus dimetiendis, etiamsi lautam, prorsus consumpsisse, ita ut propter rerum omnium indigentiam a Damaso fra-

tre aliquando nutriretur. De cujus sagacitate in rebus physicis multa proferuntur, quæ non similia vero videntur, exempli gratia, præsente *Hypocrate* lac efferri cum jussisset, inspecto lacte, dixisse, & Capellæ primum partum & nigræ esse. Sed & puellam, Hippocratis primo ita salutasse dicitur, *salve virgo*, postridie vero, *salve mulier*, puella enim vitiata fuit ea nocte. Quod attinet ejus opiniones, eas sic habeto ex *Laertio* & *Hesychio Illustrio*. *Principia* omnium esse *atomos* & *inane*, cætera omnia fas esse opinari, infinitos esse mundos, generationi & corruptioni obnoxios, *atomos* præterea numero esse infinitos? Aquam, ignem, aerem, terram, solem item & lunam ex vertiginibus, tumorumque circumferentiis componi; animamque humanam itidem; cunctaque secundum necessitatem fieri, quum sit vertigo causa generationis omnium, quam necessitatem esse dicit. Finem vero rectum quietumque animæ statum asserit, ut nullo metu, nulla superstitione agitetur. Porro testatur *Lucianus* in Philopseud. *Democritum* firmiter credidisse mortalitatem atque dissolu-

solutionem animarum cum corpore, ideoque nihil sibi timuisse, dum petulantes aliqui juvenes tentassent illum noctu territare, adeo firmiter credidit, animas nihil esse, postquam e corporibus exierint. Ex his conjicere licet, illum nullum alium cognovisse numen, quam stupidam materiam, perpetuis circumgirationibus velocissime rotatam, cum animam in corpore existentem, nihil aliud esse statuit. Hoc posito, Ideam ullam substantiæ incorporeæ concipere possum. quam ex idea, quam habeo de mea mente, utpote ab omni materia distincta, & minime dependente, recte concludo, Deum similer esse substantiam maxime incorpoream & a materia independentem?

§. 4. Non ita se res habet in illis, qui negant resurrectionem, & animarum immortalitatem, sive durationem perpetuam, quia fatendum est, eam dependere a Dei beneplacito, quia si ita visum fuerit illi, etiam omnes Angeli in nihilum redigerentur. Eapropter ille plane Atheismi postulatur a Cicerone de Nat. Deor. lib. 1. *Democritus*, inquit, *dum imagines earumque circuitus*

in Deorum numerum refert, qua imagines fundat, admittat, tum scientiam & intelligentiam nostram, nonne in maximo errore versatur, cumque idem omuino, quia nihil semper suo in statu maneat, negat esse quicquam sempiternum, nonne Deum ita tollit omnino, ut nullam opinionem ejus reliquam faciat. Huc accedit testimonium *Plutarchi* luculentissimum de placit. Philosoph. Δημόκριτος νοῦν τὸν Θεὸν ἐμπυροειδῆ τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν. (i. e.) Illum nullum alium Deum agnoscere, nisi animam mundi. (Inde videre est, quomodi *Athei* solent, retento tantum Dei nomine, quod impudenter cum stupida materia communicare non dubitant, ablata vero larva, rem ipsam jugiter negare, satis perciperis.) Ita ut loci nonnulli in ejus operibus, ubi commemorat aliquem δημιουργὸς. (i. e.) Creatorem, non possint eum excusare, cum δημιουργὸς & Φύσις videntur apud eum esse synonima: Idem dictum puta de loco in Epistola Hypocratis ad Damogetem de Sapientia Democriti, ubi refertur, illum non dissecasse partes animalium, ac si vilipendisset opera Dei, sed ut sedem bilis inveret,

niret. Porro *Epicurus* (qui certe si quis alius, maxime fuit Atheus) dicitur omnia sua philosophemata a *Democrito* sumpsisse mutua , quod testatur Cicero de Natura Deor. lib. I. *Quid est in Physicis Epicuri non a Democrito? Nam etsi quædam commutavit; ut quod paulo ante de inclinatione atomorum dixi: tamen pleraque dicit eadem, atomos, inane, imagines, infinitatem locorum, innumerabilitatemque mundorum, eorum ortus & interitus, omnia fere quibus naturæ ratio continetur.* Et alibi. *Democritus vir magnus imprimis, a cujus fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit.* Fertur *Platonem* ita *Democrito* fuisse infestum, ut omnia ejus scripta Vulcano tradidisset, nisi ei a multis fuisset reclamatum affirmantibus hoc fore laborem plane irritum, cum multa jam exemplaria essent dispersa. Verosimile est hoc odium concepisse *Plat.* contra *Democritum* magis propter opinionum oppositionem mutuam, quam ex mera invidia propter ejus celebritatem, quum notum sit, *Platonem* agnovisse sapientissimum mundi creatorem, contra *Democritum*, omnia tribuisse atomorum

circumgirationibus. Accedit huc *Augustini* ſententia de *Democrito*: *Quanto melius, ne audiſſem quidem nomen Democriti, quam cum dolore cogitarem, neſcio quam ſuis temporibus magnum putatum, qui Deos eſſe arbitraretur imagines, quæ de ſolidis corporibus fuerunt, ſolidaque ipſa non eſſent, easque hac atque hac, proprio motu circumeundo; illabendo in animas hominum facere, ut vis divina cogitetur; cum profecto illud corpus unde imago flueret, quanto ſolidius eſt, tanto præſtantius quoque eſſe judicatur: ideoque fluctuavit, ſicut iſti dicunt, nutavitque ſententia; ut aliquando naturam quandam, de qua fluerent imagines, Deum eſſe diceret.* Ex quibus verbis Auguſtini licet concludere *Democritum* neque cogitationem a materia diſtinxiſſe. Opinio ejus de ortu hominum eſt abſurdiſſima, quum ex vermibus ſatos crediderit, ſed ſucceſſivis mutationibus hanc formam, quam habent, induiſſe, ita ut non immerito eum mentis impotem haberent Abderitæ, compellantes cum ſumma feſtinatione *Hypocratem*, ut hujus maniæ porrigeret remedia, vide *Stilling-*

lingfleetium Origin. Sacr. part. 2. pag. 26. Qui ibidem dolet, opera hujus Philosophi omnia esse perdita, cum ea quæ remaneant sublestæ sint fidei & parum genuina habeantur.

CAPUT VI.

§. I.

DEmocritum excepit *Diagoras* Telleclidis filius, natura servus, & propter indolem & acumen ingenii, decem drachmatum millibus a *Democrito* emtus, & postea ab eodem Philosophia imbutus, atque ut fas est credere, minus recte de Deo sentire edoctus, adeo ut *Impius* vel *Atheus* cognomento dictus fuerit. Alii causam ejus Atheismi sic referunt, quod eidem arti (i. e.) poeticæ operam dederit quispiam, a *Diagora* accusatus de subrepto poemate nominato pæane, & cum ejurasset se furti non teneri, coram Jovis imagine; Atque poemate non ita multo post in lucem prolato, mæstus valde & contristatus *Diagoras*, λόγυς θεὺς scripsit ἀποπυργίζαντας: (quasi dicas Orationes e turribus suis Deos præcipitantes:)

quæ defectionis suæ causas a communi de Diis sententia continebant; ita imprudenter concludit, Deum nihil aliud esse quam statuam, cum concludere debuisset, statuam non posse esse Deum. Prosperitas impiorum magnum profecto omni tempore attulit mortalibus præjudicium, ut parum benigne de Deo atque de ejus providentia sentirent; Quod abunde patet ex verbis *Divini Psaltis, tantum non pedem suum fuisse lapsum* testantis, cum videret impios in omnibus suis conatibus prosperrimos habere successus, dum boni viri durissima uterentur sorte, sed cum ingrederetur Templum vel Tabernaculum Jehovæ, facili labore omnes istas diluit tristes cogitationes. *Clemens Alexandrinus Diagora* Philosophiam damnari a multis existimabat, fictitios atque falsos Gentilium Deos quia acriter corriperet, quod fatemur verum fuisse de aliquibus qui a Gentilibus existimabantur Athei. Quod si diligentius consideraverimus ejus scommata contra providentiam, non abs re erit credere, illum nullum Deum agnovisse præter concursum atomorum fortuitum, vel materiam, ut antea

tea ejus Præceptor *Democritus*. Diagoras cum in Samothraciam veniſſet, & quidam amicus ei dixiſſet *tu qui putas Deos humana negligere, nonne animadvertis ex his tabellis pictis quam multi votis vim tempeſtatis effugerint, & in portum ſalvi pervenerint? Ita fit, inquit, illi vero nusquam picti ſunt qui naufragium fecerint in marique perierunt, l. 3. de Natur. Deor. Idemque eum ei naviganti vectores adverſa tempeſtate timidi & perterriti dicerent, non injuria ſibi illud accedere, qui illum in navem eandem recipiſſent, oſtendit eis in eodem curſu multas alias laborantes, quæſivitque, num etiam in iis navibus Diagoram vehi crediderent.* Acutiſſime dictum, quod nos monere debet, ne nimia feſtinatione impiorum miſeriam illico eorum impietati tribuamus, quia & hæc accidit viris quibusque optimis. Propter impietatem ejus decreverunt Athenienſes magnam argenti vim cuicunque qui illum trucidaret, atque largiorem tali mercedem, qui vivum adduceret. Sed fuga ſe ſalvavit & poſtea naufragio periit. Multa alia de eo referunt authores, ſed non ſunt hu-

jus

jus commatis, neque ad nostrum faciunt institutum.

§. 2. Fuit & *Protagoras* Democriti auditor, testante Laertio, atque is Atheismi accusatus, dicebat nihil esse animam præter sensus, *de Diis quidem statuere nequeo, inquit, an sint necne, sunt enim plurima, quæ id scire prohibeant, quippe & summa rei incertitudo, & brevis hominis vita.* Nihil videtur conceptis verbis contra existentiam summi numinis statuisse, sed cautius, forsan, propter magistratus metum loquutus, sed cum Diagoræ condiscipulus esset, par est credere, illum coluisse eandem Philosophiam: pulsus tandem ab Atheniensibus, librique illius in foro cremati, sub præconis voce. Lubet huic subjicere historiam *Theodori* cognomento dicti *Athei*. Vixit Athenis tempore *Demetrii Phalerei*; omnes opiniones de Diis antiquavit penitus & sustulit, & ut amplius dicam, sustulit & amicitiam, quod ea neque penes stolidos, neque penes Sapientes sit, nam sublato usu, amicitiam confestim aboleri atque interire; Sapientes rursus, quum sua sint sorte contenti, amicorum opem non re-

qui-

quirere: *furto, adulterio ſacrilegioque ſe dediturum ex uſu temporis*, horum enim natura nihil eſſe turpe, ſi tollas popularem de hisce opinionem, quæ ad continendum in officio vulgus hominum recepta eſt. Hinc addiſcere licet, nihil Atheo Patriæ vel Reipublicæ peſtilentius, nihil eo timidius in periculis, in convictu fraudulentius, aut injuſtius eſſe poſſe, qui, neque æqualem toleret, neque agnoſcat ſuperiorem, niſi quando coactus eſt commoditati ſuæ inſervire atque temporibus; alioquin, *vivitur ex rapto, nec hoſpes ab hoſpite tutus:* neque ſalus populi reſpicienda, neque majeſtas principum. Atheus nullum agnoſcit Numen, niſi ſeipſum, neque aliud cœlum, præter hujus vitæ commoditates, neque alium Infernum, præterquam rerum omnium inopiam, hic timiditas & ignavia, ut ſtrictum enſem vix audeat adſpicere, quia ſi forte hoſtili ferro caderet, conclamatum eſſet de omni illius ſpe & expectatione. At forſan objicies, in bello nihil Atheo fortius, cum poſt mortem neque pœna eos maneat neque Infernus, neque ulla rerum anteactarum recapitulatio, neque profecto mo-

leſte

leste ferenda sit, brevis hujus vitæ jactura, Ita est, fateor, si meliorem spectaveris, jactura est nulla, attamen Atheo gravissima est & irreparabilis, quia nihil habet aliud quod expectet. Insuper quod Atheus *pacis* sit *amantissimus*, utpote omnia summum numen quæ respiciunt, susquedeque habens, atque æquissimo ferens animo, ut quisque abundet suo sensu, quum *non quid sentiant homines, sed quid agant*, sunt verba Tolandi in Adeisidæmone Atheum Reipubl. hominem esse longe utilissimum asserentis, curet Atheus, nullo pacto verum esse arbitror; contra, est animal maxime disputax, atque ardentissimo zelo percitum ad conquirendos sibi asseclas, neque forte hoc nomine Pharisæo multum inferius. Praxis, & hominum Atheisticorum mores, extra omnis aleæ controversiam hoc ponunt, quippe qui nuspiam desinunt, si non palam, saltem clanculum corrumpere aliorum animos. Obiter monendum est, execrandam esse opinionem Atheorum, secundum quam, ipsis fatentibus, nullus in officio contineri potest, sed opus est commento religionis, quamvis fabula absurdissima sit, Religionem a politicis fuisse excogitatam; quum nemo hactenus potue-

potuerit ostendere, quibus temporibus quibus locis, vel a quo denique principe tanta fraus introducta fuerit; Imo impossibile est, ut experientia satis docet, unum Universos posse decipere, vel ab uno Universos decipi, quia omni tempore inveniuntur homines astuti atque sagaces ad detegendas ejus generis fraudes, imprimis, cum sua magnopere intersit, excutere talis supremi numinis dominationem, quæ identidem incutit terrorem mortalium animis.

§. 3. *Theodoro* coætaneus fuit *Stilpo Megarensis*, & ut aliqui volunt *Euclidis* auditor, qui tantum valuit dicendo, ut parum abfuerit, quin cuncta Græcia in illum intenta, in Megaram transiret. Ajunt, ita illum quemdam de Phidiæ Minerva compellasse: *Num*, inquit, *Minerva Jovis filia* Deus *est?* Quum vero annuisset ille, dixisse dicitur, *at illa non Jovis, sed Phidiæ est:* non ergo ipsa, (ita concludebat,) *Deus:* qua ex re, quum in Areo pagum pertractus fuisset, nihil inficiatum ferunt, imo recte se loquutum asseruit, *non enim* Deus *erat, sed* Dea: Areo-pagitæ tamen nihilo secius continuo urbe

urbe excedere jusserunt. Denique, cum rogasset eum *Crates*, an Dii precationibus, ac divinis honoribus gaudeant, *noli me*, inquit, *in via de hisce rogare, sed solum, ac seorsim.* Horum nihil *Hesychius Illustrius* in ejus vita commemorat, sed de ejus festivo ingenio & facundia, multa prædicat, & quandoquidem ex ejus operibus nihil est reliquum, non temere inter Atheos recensendus irrisor lepidus, qui Idololatriam sui temporis non sine multo sale subinde jocose perfricuit. Hujus temporis erat *Bion Boristhenites*, etiam Atheus a multis habitus, alias ignobilis, sed ab Antigono, Macedoniæ Rege in deliciis habitus, propter summam viri leporem & acumen ingenii: *Theodori* impii fuit assiduus auditor, a quo male de Deo sentire didicit, & profana multa effutire, de quo *Sam. Parkerus* habet sequentia: *Vir nulla alia re nisi importunis moribus & lividis salibus insignis, & hos quidem, cum sermonibus tum libris editis fertur palam & audacter suam adversus numinis existentiam opinionem defendisse; qua de causa istum primo* Cyrenis, *deinde* Athenis *ejectum, aut judicio Areopagi damnatum,* *cicu-*

ticulam bibisse: hunc vero, cum in nullum judicii periculum venerit, vitam impudicam & dogmatibus congruam egisse, & denique cum in extremum morbum incidisset, summo cum conscientia horrore & facinorum pœnitentia (quod plerumque accidit) in turpissimam & plusquam anilem superstitionem delapsum vitam finivisse. Et utrosque quidem longe sceleſtiores fuisse, quam fuisse accusantur, hac sola ratione, etiamsi nullo veteris auctoris testimonio, evinci posse non dubito, quod Aristippi disciplinam secuti fuerint, cum is nihil novi sibique peculiare introduxerit, aut introducere sudaverit, quam Philosophiam a pietate disjunctam. Etenim cum a Socrate didicerat virtutem semper cum voluptate copulari, ea relicta, hanc solam arripuit, in eaque omne bonum vitaque felicitatem posuit, neque ullam præter corporis seu sensuum titillationem agnovit, & proinde nihil nisi ut ventri lateríque bene sit curandum esse; & modo ejus voluptati consulatur, nihil interesse quid agamus, cum nihil bonum aut malum sit, nisi quod voluptatem aut dolorem efficiat. Posthabita

H *itaque*

itaque omnis virtutis & vitii ratione, omnique Deorum hominumque cura. Sapientem quicquid suis rationibus conducat acturum, & tempore locoque opportuno quicquam sceleris commissurum. Quippe brevi hac vita quicquid felicitatis expectamus quoquo modo fruamur; cum impendeat mors, post quam nihil quod aut eos aut alios pecudum greges attineat, supersit, unde dolere vel lætari possimus. Posthac utrum Deum negaverit necne non inquiro, cum hujusmodi decretis non aliter quid censuerit, declaret, quam si audacter nullum esse dixerit: dempta scilicet virtute animæque humanæ immortalitate, sit an non sit Deus, perinde est; cum nullius fructus in hac vita sit, qualiscunque relinquatur Religio, aut in altera esse possit: Et quicquid pietatis, qui hæc crediderint, præ se ferant, impudenter fingunt & mentiuntur. Quapropter mirari non oportet si mores institutis convenire reperiuntur; si Tyrannorum scelestissimo ventris gratia adulatus fuerit; si vita in omni intemperantia, luxu, & libidine traduxerit; si nihil præter unguenta, meretrices, & convivia curæ ha-

habuerit; ſi vitia ſua palam proferat & profiteatur laudanda; ſi denique libris editis alios ad ſuam immodeſtiam imitandam hortari audeat, & docere vitiis gloriari non erubeſcat, ut iis ſapientiam inſcribant, & luxuria in Philoſophiæ ſinu adſcendant, & quod unum habebant in malis bonum perdant, peccandi verecundiam. *Et Magiſtrum non modo ſecuti ſunt in dogmatum & morum impietate Theodorus & Bion, ſed (ſi fieri poſſit) ſuperaverunt, nugas eſſe Deos, & fabulas, qui de iis habentur ſermones libris editis docebant; omnes ad furta, perjuria, & rapinas hortabantur, omnemque non modo amicitiam, ſed & adverſus aut Patriam aut Parentes benevolentiam ludibrio & deſpectui habebant, neque ſcelera laudare ſatis reputabant, niſi virtutes omnes, & imprimis modeſtiam, in publicum odium & contemptum protraherent: usque adeo impietas, ſi ſemet radices agere permittatur, gliſcit & incrementa facit, donec tandem ad ſummam impudentiam pervenerit.* Sed poſtremis vitæ temporibus incidens in adverſam valetudinem, ad ſaniorem mentem rediit,

propterea a *Laertio* Græcis carminibus acriter perstrictus, quæ Latine its se habent:

Bionem Borysthenitem quem Scythicu tellus produxit,
Dixisse audivimus, revera nihil esse Deus,
At siquidem id dogma tueri perstitisset, merito dicendus esset
Sensisse ut visum fuisset, Et si male visum esset.
At nunc quum in longum morbum incidisset, ac mori pertimesceret,
Qui Deos non esse dixerat, qui fanum non videret,
Mortalibus qui illuserat, dum Diis immolarent,
Non pro foco solum, arisque ac mensa,
Nidore. adipe, thureque Deorum nares implevit,
Nec solum peccavi dixit; delictis parcite,
Sed & anui collum facile porrexit excantandum,
Brachioque toris persuasus devinxit
Rhamnumque, & lauri ramum janua imposuit
Cuncta administrare magis, quam mori paratus.

Stul-

Stultus, qui mercede voluerit Deos eſſe,
Quaſi nunc eſſent, quum illos Bion demum eſſe arbitraretur.

Hæc eſt profecto omnium fere Atheorum indoles, ut moribundi in turpiſſimam ſuperſtitionem & maxime ridiculam incidant. *Tullus Hoſtilius* Deorum infrequens cultor, ipſe quoque magno morbo implicitus, tum adeo fracti ſimul cum corpore ſunt Spiritus illi feroces, ut qui nihil ante ratus eſſet minus regium, quam ſacris dedere animum, repente omnibus magnis parvisque ſuperſtitionibus obnoxius degeret, religionibus etiam populum impleret *Liv.* Dec. 1. lib. 1. Eapropter aliqui Athei non temere queruntur de ſuorum aſſeclarum inconſtantia & tergiverſatione, quia pauci, vel nulli firmi manent atque immobiles in ſua Sententia: Cauſa eſt inpromptu, a turpibus voluptatibus feriari coguntur, quæ eos a recto rationis uſu diſtrahebant, & jam tandem ad ſe redeuntes, Atheiſmo nihil ineptius aut periculoſius ſatis percipiunt, contrariam vero Sententiam valde ſecuram bene intelligunt, quum plane nihil ſecum adferat periculi, ſi eſſet falſa, nequidem mi-

nimum infamiæ, quia tum nemo foret, qui me pro ludibrio haberet, vel qui pœnas a me sumeret si nullus sit Deus, & animarum immortalitas, quod si detur (datur autem certissime) tum væ & miseria incredibilis, familiæ Atheorum.

§.4. Jam tandem tangit ordo *Epicurum*, Neoclis & Chærestratæ filius, patria *Atheni:ensem*. Sunt qui dicunt, quum *Athenienses* Samum sortiti essent, illic illum nutritum esse, ac demum octavum vel decimum agentem ætatis annum, rursus Athenas concessisse, quo tempore & *Xenocrates* in Academia, *Aristoteles* in Halcide, Scholam habebant. Defuncto autem *Alexandro Macedonum* Rege, & Atheniensium sub *Perdicca* afflictis rebus, Colophonem se ad Patrem contulisse, ubi cum aliquamdiu moratus esset, collegissetque discipulos, Athenas iterum rediisse dicitur, ibique cum cæteris in communi philosophatum fuisse, deinde seorsum sectam constituisse. Verum enim vero *Diotimus* Stoicus infesto adversus illum animo acerrime eum insectatus est, quinquaginta circumferens impudicas & lascivas, veluti ab Epicuro scriptas Epistolas.

stolas. Quicquid sit, hoc certum est, ab omnibus fere Philosophorum sectis, impietatis atque Atheismi postulatum fuisse *Epicurum*; imprimis a Stoicorum secta, illi maxime fuit reclamatum; neque minus a Judæis Scriptoribus, qui eousque devenerunt, ut Atheum & Epicureum haberent pro synonimis. Vide *Buxtorf.* Lexicon. *Epictetus* quoque, ut lascivius loquentem sugillat. Insuper memoriæ est traditum, bis illum diebus singulis vomere solitum fuisse, & nimiis deliciis solutum, corporeque adeo misere affectum, ut multos annos e sella consurgere nequiverit, minam interim quotidie in cibos consumsisse, ut ipse in Epistola ad Leontiam testatur. Multa alia hujus generis de ejus diffluentia vitæ, atque crapula apud Authores passim inveniuntur. Sed nec, ei defuere omni tempore Viri doctissimi, qui ab omni impuritate vitæ eum acriter defenderunt, quum ille non in turpi voluptate corporis poneret felicitatem, sed in voluptate animæ, ita ut quod Stoici vocarent *apathiam*, Molinistæ nostri temporis *quietudinem animi*, atque nos ipsi *bonam conscientiam*, *Epicurus* appellat volu-

ptatem. Quod si ita res se habuerit, in hoc articulo non a vero abhorruisse videtur, quandoquidem sine illa animi voluptate, certo certius nulla felicitas obtineri possit, vid. Sr. *William Tem. Essay appon the garden of Epicurus.* De ejus parsimonia prædicat multa *Laertius*, tacebo *Gassendum*, qui omnia congessit, quæ illi ornamento aut laudi esse possunt.

Quis furor, o cives, ut vos ob vile lucellum
Rixas, ut bellum sollicitetis atrox?
Nam natura opibus facile contenta pusillis,
Contenta nullis ambitio est opibus.
Hoc Epicurus ait, dulces quem nempe Camenæ,
Aut suadæ tripodes edocuere Sacri.

Sed quicquid sit, de ejus moribus non ita laborabo, præsertim cum gravissimi authores de hac re minime consentiant, & quia non est necesse, ut quisque Atheus illico omni dissolutione vitæ & luxu diffluat, eapropter non ex moribus tantum & vitæ instituto judicium de Atheismo ferendum, sed etiam ex cujusque opinionibus, de natura,

tura, ptincipio atque omnium rerum cau-
sa,

§. 5. Quid vero de his opinatus sit *Epicurus*, videndum nunc est; Physicam Epicuream in compendio sic habeto: Principia esse individuas corporum naturas, sive atomos in infinito spatio infinitas, *si enim*, inquit, *esset infinitum vacuum, & corpora finita, nusquam manerent corpora, sed ferrentur per infinitum inane dispesa, quam non haberent quo se figerent atque exhiberent. Quod si vacuum finitum esset, non haberent infinita corpora ubi subsisterent. Inde mundum ex vacuo & atomis compositum infinitum esse statuit; Atomis nihil attribuit præter figuram, magnitudinem & gravitatem, quarum mutuis cohæsionibus ac circumrotationibus infinitos mundos esse compositos, nec non corpora in iisdem singularia; animam vero ex atomis levissimis atque rotundis esse compositam, multum ab illis differentibus, quæ igneæ sunt; pars tamen ejus, quæ ratione caret, corpori quoque reliquo connexa est. Incorporeum autem per se intelligere non possumus, inquit, præter vacuum; itaque qui incorpoream di-*

cunt esse animam desipiunt. Nihil enim aut facere posset, aut pati, si esset hujusmodi. Unde liquet, nullum posse dari Deum incorporeum ex sententia *Epicuri*, nisi voluerimus pro Deo agnoscere infinitum ejus spatium, quod neque agere, neque pati potest. Illico reddit omnium animi perturbationem, causam, videlicet, quia non videntur multarum actionum atque phœnomenorum causæ veræ atque primæ, inde sibi metuunt, ne forte detur aliqua substantia atque causa incorporea, qui metus eos etiam post mortem exagitabit, atque in hujus exilio ponitur animæ felicitas. Monet insuper, mortem non esse timendam, *quoniam cum non sumus, mors non est, cum vero mors adest, nos non sumus, neque igitur ad viventes neque ad mortem pertinet.* Hic non abs re duxi verba *Joh. Francisc.* "*Buddei* interponere: Si quis, inquit, non-"nulla *Epicuri* placita defendenda sibi su-"mat, eum simul necesse est, ut & numinis "providentiam tollat, & immortalitatem "mentis neget, & summam hominis felicita-"tem in dolorum & curarum absentia, quam "animæ tranquillitatem dixit, collucet.

Con-

Contra, si quis aliquod *Epicuri* assertum, " missis cæteris, assumat, ille quidem hoc " ipso a mente *Epicuri* discedit, nec quod do- " cet pro Epicureo dogmate venditare pot- " est. Id quod *Petro Gassendo* contigit, qui " Epicureus videri voluit, cum tamen præ- " cipua *Epicuri* decreta rejiceret, atque re- " felleret: quo ipso peccavit quidem, sed " minus tamen, quam si detorquere in alie- " num sensum veterum opiniones annisus " esset, quod *Justus Lipsius* fecit, ineptis- " simus potius Stoicorum adulator, quam " Stoicæ Philosophiæ restaurator dicendus. "
In præfatione ad Histor juris | natural.
has tamen videtur *Seillingfleetius* magis favorabiles, quam veras, *Diagoræ* & *Theodori* apologias nominare, quando destruentes polytheismum atque cultum idololatricum, nullum alium rationalem cultum adstruxisse deprehenduntur. Id quod non inepte *Epicuro* applicabimus, qui etiamsi conceptis verbis cum *Diagora* esse Deos non sit ausus negare, ne subiret fata eadem, nihilominus cum nulla principia rerum agnosceret præter materiam, & circumgiratas fortuito atomos, non dubitamus, Gregis impii illum

illum ducem ponere. Neque a nostra hac sententia abhorret Cicero, cum verba facit de pœna *Protagoræ*, propter ista verba: *De Diis neque ut sint, neque ut non sint habeo dicere: Ex quo equidem tardiores exiistime ad hanc sententiam profitendam, multos esse factos, quippe cum pœnam ne dubitatio quidem effugere potuisset.*

§. 6. Deorum Democratiam, quam agnovit *Epicurus*, fuisse Comicam, potius quam veram, satis patet, cum eos in spatiis aliquibus intermundanis collocet, quæ spatia imaginaria a *Laertio* eleganter habemus descripta his verbis:

Illud item non est, ut possis credere, sedes
Esse Deum Sanctas, in mundi partibus ullis.

Atque porro:

"*Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis*
"*Aspergunt, neque nix acri concreta pruina*
"*Cana cadens violat, semperque innubilus ather*
"*Integit, & large diffuso lumine ridet.*

Epicurus tamen hos otiosos atque delicatulos

los Deos colendos dixit, non quod haberent nobiscum quid commune, & nostrarum rerum curam, sed propter earum excellentiam, & naturam tenuissimam atque subtilissimam, quasi tamen carneam & quasi sanguineam; unde dicitur Deos jocandi causa introduxisse *Epicurum* pellucidos atque perflabiles, & habitantes quasi inter duos locos, sic inter duos mundos, propter metum ruinarum. *Possidonius* clare affirmat, *Epicuro* nullos esse Deos; quæque is de Diis immortalibus dixerit, invidiæ detestandæ gratia dixisse. Vid. Cudvvorth. intellectual. systèm, pag. 60. Qui cum bona venia *Gassendi*, firmiter *Epicurum* pro Atheo habet, non obstantibus ejus Diis subtilibus atque aereis, dum passim affirmat, mundum esse factum a corporibus fortuito motis sine moderatore, ita ut juxta cum *Democrito* statuat, mundum *ὠὸν τῆς νυκτός, ovum noctis*, & merum *Tohu-ve Behu*, pro causa ejus habuisse, vel magnum inane, unde *Laertius*:

Quodcunque erit, esse aliquid debebit id ipsum,
Augmine vel grandi, vel parvo - - -
Cur si tactus erit, quamvis levis exiguusq;

Cor-

Corporis augebit numerum summamque sequitur.
Sin intactile erit, nulla de parte quod ullam
Rem perhibere queat per se transire meantem,
Scilicet hoc id erit vacuum, quod inane vocamus.

Item.

Præter inane & corpora, tertia per se
Nulla potest rerum in numero natura relinqui.

Unde patet, nihil agnovisse *Epicurum*, (cujus amanuensis *Lucretius*,) præter materiam Philosophiæ partem ignobiliorem, ut causam & principium omnium rerum, sed de causa motus, atque operationem physicarum, nihil protulit, nisi ineptias; "Unde *Cicero in lib. de finibus*, cum in re-"rum natura duo sint quærenda, unum "quæ materia sit, ex qua quæque res effi-"ciatur, alterum, quæ vis sit, quæ quidque "efficiat: de materia disseruerunt *Epicurei*; "Vim & causam efficiendi reliquerunt. Dum "causam motus *Epicurus* ponit gravitatem "atomorum rectis lineis deorsum tenden-tem;

tem; absurdius vel insulsius quid dici pot-" erat? Cum infinito spatio, (cum adhuc" nulla esset atomorum concretio,) neque sursum, neque deorsum ullo jure statuere poterat. Adhæc cum liberum arbitrium explicare voluerit, fastigia insaniæ transcendisse videtur, apud *Ciceronem lib. de fato*: Sed *Epicurus* declinatione atomi vitari fati" necessitatem putari Itaque tertius quidam" motus oritur extra pondus & plagam," quum declinat atomus intervallo minimo;" quam declinationem sine causa fieri, si mi-" nus verbis, re cogitur confiteri --- ra-" tionem hanc *Epicurus* induxit, ob eam" rem, quod veritus, ne, si semper atomus" gravitate ferretur naturali ac necessaria," nihil liberum nobis esset, quum ita move-" retur animus, ut atomorum motu cogere-" tur. Hinc *Democritus* auctor atomorum" accipere maluit, necessitate omnia fieri," quam a corporibus individuis naturales" motus avellere." Horum verborum summa huc redit: anima humana composita est ex atomis recte necessario motis, sed parum ad latus declinantibus, ergo anima debet esse in suis actionibus libera, quod si

more

more solito in lineis rectis moverentur, tum actum esset de libero arbitrio. Et credo nihil absurdius in mentem hominis insani cadere potuisse, quum nulla plane relatio aut proportio inter atomos, & liberam agendi potestatem, ideoque non immerito a *Cicerone* vehementer reprehensus. *Hoc persæpe*, inquit, *facitis, ut cum aliquid non verisimile dicatis, & effugere reprehensionem velitis, afferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidem possit: ut satius fuerit, illud ipsum, de quo ambigebatur, concedere, quam tam impudenter resistere*. Veluti *Epicurus* cum videret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus necessarius; invenit, quomodo necessitatem fugeret, quod *Democritum* fugerat: ait atomum, cum pondere & gravitate directe deorsum feratur, declinare populum. Hoc dicere turpius est, quam illud, quod vult, non posse defendere, de Natur. Deor. lib. 1. Sed cum de illo acriori contentione dissentiunt Philosophi recentiores. Quem quamquam veteres omnes cujuscunque conditionis, sive Ethnici sive

Chri-

Christiani omnibus diris devovent, & tanquam teterrimum & maxime apertum omnis numinis hostem & contemptorem insectantur, operæ pretium duximus, paragraphos aliquos ex *Sam. Parkero* de vita *Epicuri* contra *Gassendum* aliosque obtendentes injuriam illi fuisse factam a secta Stoicorum illi inimicissima, & de voluptate animi intelligendum esse Epicurum non de turpi voluptate corporis a sensuum crassiore exercitio orta, sed regerit Parkerus fusius & docte satis ad hunc modum: His autem singulis ut accurate respondeam, & liberaliter quoq; agam; Imprimis quantum volunt calumniarum tribuam Stoicorum malignitati;etenim novi hominum mores, quantoque odio in Epicurum aliosque omnes flagrarunt, si quis illorum barbas & supercilia contempserint. Detur itaque Diogeni Laertio non omnia Epicuri esse quæ vulgo Epicuro imputantur, multosque libros & impios & lascivos illius nomine Stoicorum malitia fuisse confictos, atque adeo dogmata & decreta ipsi affingi potuisse, de quibus fortasse nullam usquam mentionem fecerit. Atqui tamen eo quod spuria non-

nulla illi suppositа fuerint, idcirco quicquid in ejus libris reperiatur (si minus defendi possit) omnino confictum esse dicere licebit? præsertim cum nulla hujusmodi scripta proferunt nisi quinquaginta Epistolas a Diotimo confictas, cujus fraus & impostura (cum ipse pœnas dederit) statim detecta fuit. At neminem novi, qui ex supposititiis istis Epicurum criminaretur; sed quotquot illum accusarunt, ad libros de quibus nequaquam dubitatur semper provocant, suisque ipsius verbis turpes ejus sententias proferunt. Et ne omnes accenseamus, quid ad Ciceronem & Plutarchum qui Epicureis ipsa Epicuri dicta passim exprobrant, dicendum est? *Quid tergiversamur Epicure*, (inquit Cicero) *nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, cum os perfricuisti, soles dicere? sunt hac tua verba necne? In eo quidem libro, qui continet omnem disciplinam tuam (fungar enim jam interpretis munere, ne quis me putet fingere) dicis hoc: Nec equidem habeo, quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quæ sapore percipiuntur; detrahens eas etiam quæ auditu & canti-*

tibus; detrahens eas etiam quæ ex formis percipiuntur oculis, suaves motiones, sive quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet e sensu, nec vero ita dici potest, mentis lætitiaam solam esse in bonis; lætantem enim mentem ita novi, spe eorum omnium quæ supra dixi, fore ut natura iis potiens dolore careat. Atque hæc quidem his verbis, quivis ut intelligat, quam voluptatem norit Epicurus. Et paulo post. *Non verbo solum posuit voluptatem, sed explanavit quid diceret, saporem (inquit) & corporum complexum, & ludos atque cantus, & formas eas, quibus oculi jucunde moveantur. Num fingo? num mentior? cupio refelli: quid enim laboro, nisi ut veritas in omni quæstione explicetur?* Et denique in libro primo de natura Deorum sub Cottæ persona ad Vellejum, *Quosque ludis* (inquit) *nam Philo etiam noster ferre non poterat aspernari Epicureos molles & delicatas voluptates; summa enim memoria pronunciabat plurimas Epicuri sententias, iis ipsis verbis, quibus erant scripta, Metrodori vero qui est Epicuri collega sapientia, multa impudentiora recitabat. Ac-*

cusat enim Timocratem fratrem suum Metrodorus, quod dubitet omnia, quæ ad beatam vitam pertineat, ventre metiri; neque id semel dicit sed sæpius, Annuere te video, nota enim tibi sunt, proferrem libros si negares. Quid quod deinceps Plutarchus Epicuro exprobret quod disertis verbis asseruerit, *Esse summum bonum circa ventrem, omnesque alios carnis meatus per quos se voluptas, non dolor insinuat, ac omnia præclara sapienterque inventa ad voluptatem, quæ circa ventrem, bonamque de ea non desitura spem pertinere?* Quid quod Metrodoro hæc verba objiciat? *Quam gaudens fidensque evasi, quod ventri rite gratificari ab Epicuro didici?* Et rursum, *Nihil attinet o Timocrates, Græcos servare & sapientiæ ergo coronas ab iis reportare; sed comedere ac potare vinum, quantum & non noceat, & gratum sit ventri.* Quid denique quod toti contubernio objiciat. *Non cedere eos porcis ovibusque felicitatem; dum nimirum statuunt ad felicitatem id sufficere, ut & carni & animæ circa carnem occupatæ bene sit?*

Iis qui talia scribere non erubescunt (ne alia

alia innumera accumulem) non opus est commentis & calumniis infamiam creare; atque si quid Stoici in eorum injuriam finxerunt, tamen nihil turpius comminisci poterant, quam quod de se ipsi palam testantur. Quid itaque testium tam celebrium tamque omni fide dignissimorum auctoritati opponemus? An Cicero & Plutarchus Stoicorum exemplo mentiuntur? An meris calumniis in tam iniquam de viro optimo censuram se duci patiuntur? Nihil viris tam probis tamque doctis magis alienum. Neque enim quicquam Authoritatis aliorum testimoniis deferunt, nihilque ex suis ipsorum scriptis attulerunt. An spuria & commentitia sunt ista omnia? non dicendum est. Cur enim si ficta sint, nemo antehac fraudem detexerit? præsertim Epicurei, cum sibi toties & pene ad contumeliam obscænas Magistri sententias exprobrari audiverant, aut si omnino detexerant, non credo Ciceronem aut Plutarchum adeo os perfricare potuisse ut postea tam fidenter sua ipsi verba exprobrare instarent. *Num fingo?* (inquit Cicero) *num mentior? cupio refelli*, & alibi *nota hæc tibi sint*; *pro-*

ferrem libros si negares. At nemo quidem in hunc usque diem aut negavit, aut negare potuit; nisi quod Diogenes Laertius locum unum e libro de fine citatum interpolari dixerit. Et sit sane, atqui tamen dempto isto, satis superque testimonii relinguitur in mille aliisque supersunt, quæque nemo usquam in suspicionem revocare potuit.

§. 7. Sed & de isto quoque loco paululum inquiramus, cur quod germanum credidere Cicero & Plutarchus nos interpolatum crederemus? Aut unde istam fraudem quæ superioribus omnibus imposuerat; detexit Laertius? Num alia librorum exemplaria protulit quam quibus usi sunt egregii isti viri? Num antiquioris cuiuspiam scriptoris autoritate aut suspectum aut suppositititium esse comprobavit? Nihil horum: sed vir mediocris judicii, & Epicureæ sectæ immodice addictus, quicquid Epicuri laudibus aliquid detereret ea solum de causa omnino tollendum esse voluit. Atque adeo tum istum locum tum alia similia nulla auctoritate, sed sola hominis probitate depellit. Verum de moribus postea, interim

terim qualescunque fuerint, librorum fidei eorum causa detrahere non oportet, cum fieri possit ut vir improbus sobrie & moderate vivere cogatur; id quod de Epicuro suspicari licet, cum infirma admodum valetudine semper usus fuerit, utcunque igitur vixerit, non e vita sed e libris, quid scripsit, petendum est; atque adeo Diogenis censura Epicurum talia non scripsisse nullius momenti habenda est, cum nulla verisimiliori ratione suffulciatur quam virum tam probum tam improba scribere non potuisse. At isto pacto quicquid e quoquo scriptore ad libitum licebit delere, librorum itaque fides tam vanis conjecturis nullo modo labefactanda est. Et nisi aut antiquiora exemplaria aut testimonia quæ opponeret, habuisset, suam libris auctoritatem illibatam constare oportet, cum alioqui omnis omnibus antiquorum scriptis & monumentis fides funditus tollatur. Neque quidem ea qua oportebat simplicitate nobiscum egit Laertius; etenim cum longa criminationum seriem recensuerat, eamque maledicentiæ accusatione erga antiquiores omnes clauserat, tandem ambigue satis

quid ipse censuerit, uno verbo pronuntiat, *μεμήνασι ἢ ἔτοι*, *verum isti quidem insaniunt*. At quinam sunt isti? An omnes qui quippiam Epicuro objiciunt? an postremi qui maledicentiam? an denique qui argumenta aut impietatis aut intemperantiæ aut malevolentiæ inde desumunt? Si prius, negat quod refellere debet; si posterius, ludit, nihilque ad hunc locum excipit, interpolatus sit necne; si postremum, transit a testimonio ad argumentum, neque inficias it vera esse testimonia, sed improbitatis argumenta ex iis desumi negat: Utcunque sit, hoc certum est non majoris esse ponderis Laertii hac in re, quam recentioris cujusque auctoritatem, nisi antiquiorum quoque auctoritate suffulciatur. Cum autem iis non modo prorsus destituta sit, sed omnino repugnet, satis constat eum pro nimio in Epicurum affectu temere & nimis fidenter quicquam in illius defensionem dicere velle Quæ dicta velim ut licentiæ quam sibi sumunt Epicuri defensores obicem ponamus; ne scilicet quoniam fictæ quædam Epistolæ contumeliæ & obscœnitatis plenæ illi supponuntur, idcirco si quicquam simile

In

in genuinis ejusdem scriptis occurrat, ea duntaxat de causa similis fraudis suspicemur. Et quidem si id quoque concedamus (& si placeat concedimus) tamen quicquid calumniæ Stoicos ipsi affinxisse obtenditur, ipsius principiis suorumque Apologiis jure objici oportere demonstrabimus. Quod duobus, quæ superius dicta sunt, capitibus jam probare aggredimur. Imprimis eum nullos agnovisse Deos, nullumque Deorum cultum: deinde nullam voluptatem nisi corpoream & belluinam ad vitam beatam præscripsisse. Primum, sive rationes, quibus eorum existentiam probaverit; sive descriptiones quibus eorum naturam delineaverit.

§. 7. Circa prius, neque quicquam tam cordi habuit, neque cuique tantam operam dedit quam ut solidiora quæque sapientum ratiocinia funditus elevaret, nullaque argumenta nisi a populi præjudiciis desumpta, quæ ipse cum primis contempsit, afferret. Quippe cum e solertissima mundi omniumque ejus partium dispositione perspicuum sit quendam fuisse opificem, qui omnia præstantissima arte construxerit; nihil minus

ille ad tanti opificii constructionem adhiberi voluit, sed commentis quibuscunque usus est; quibus, eo secluso rerum naturam eum, quo constat ordine, adipisci posse explicaret. Quo solo conatu quem ad scopum collimare voluit, nimis aperte ostendit; cum nullo alio consilio id agere potuit, nisi ut omnem de Numinis existentia certitudinem omnino tolleret; qua sublata, quid superest nisi populi opinio? Atqui superesse, & satis esse dixit; dixit quidem, quis vero populum insolentius quam ipse Epicurus contempsit? Annon disertissime omnes multitudinis opiniones de Diis tanquam falsas suspiciones aspernari suos monuit? Verum ista levia sunt, cum nihil sit Epicuro familiarius quam ipsum sibi contradicere, quanquam tam crassa & perspicua secum dissensio in homine non prorsus fatuo, quid revera velit nimis aperte prodit, sc. cum Deos esse nollet, neque argumenta quibus esse probari posset, populo tamen, quem timeret, tantum deferre se simulavit, ut sola illorum opinione victus Deos esse crederet. Quanquam interim inter privatos parietes nihil aut sæpius aut vehementius discipulis di-

dictitaret, quam ne cum populo sentirent, cum multitudinis sit semper & in omnibus, præsertim de Diis, & decipi & decipere.

Atqui unde ista tam firma omnium de Diis notio & consensio? Ab anticipatione, inquit. At nullam anticipationem novit Epicurus nisi quæ extrorsum adveniat, mentique sensuum ministerio imprimatur; scil. cum quicquam vidimus, illius effigiem aut monumentum memoria tenemus, ad quam respicientes quoties eadem res rursum occurrit, ejusdem anticipationem seu prænotionem habere dicimur. At vero qui aut quando aut cui mortalium (si Epicuro fides) apparuere Deorum numina? Cum innumerabilibus stadiis intra proprios cancellos incarcerari longe ab omni hujus mundi commercio amoveantur; adeo ut prohibeat tum loci distantia tum murorum crassitudo, quo minus ad sensus nostros quævis ab iis simulachra perveniant. Quanquam si propius admoti forent, adeo tenues sunt eorum naturæ, cum sint *quasi corpora*, nihilque concreti aut solidi habentia, ut si hucusque pervenirent eorum simulachra, sensus tamen nostros ferire nequaquam possent,

sent, cum illos nihil moveat aut afficiat nisi quod corpoream crassitudinem habeat. Neque vero si puicquam soliditatis haberent, quoquo modo percipi aut sentiri possent, cum secundum Epicuri decreta, omnis sensatio quibusdam corpusculis peragatur, quæ a sensibili effluentia tandem sensorium pulsent; atqui si talia effluvia e divina substantia avolarent, actum de illius æternitate foret, cnm perpetua partium detractione exhauriri, & tandem penitus interire necesse esset. Novi equidem Epicurum tantopere sui, suorumque Dogmatum amore occœcatum esse, ut vix quicquam aut nihil præterea videat, tamen adeo oculis captus fuisse non potuit, quin tam obvia & perspicua clare intueretur; & tamen quod concedere non possit homo superbus, ei pergit impudenter resistere. Duplici ratione (iuquit) gignitur anticipatio, vel *comprehensione*, cum simplex rei species, quæ insensum incidit, mente teneatur; vel *comparatione*, ad quam ratiocinatio requiritur, cum ex specie concepta mens aliquid inferre pergat, qua ratione Deos cerni declarat. At cum omnis anticipatio per comparationem

nem intellectus ex ea nascatur quæ per sensuum comprehensionem fiat, si Dii sensibus non percipiantur. nulla alia ratione ad mentis contemplationem pervenire possent. Ludit itaque (ut semper) Epicurus cum notitiam Dei ratione percipi vult, cumque nihil ratione percipi posse vult, nisi quod prius aliquo sensuum percipiatur. Neque quidem felicius rem expediit Gassendus, cum eam excusare & explicare aggressus fuerit; anticipationem nimirum de Deo duplici potissimum sensus ministerio, auditus scilicet ac visus induci: Auditus, quatenus quopiam describente pronunciante que esse Deum, is qui audit, format conceptum in mente prout describi Deum percipit, & assentitur pronuncianti quem fide dignum arbitratur; Visus, etiam, quatenus nullo monente potest mens, ex iis quæ sunt per visum comprehensa, conceptum de Deo formare, seu tanquam Principe, quo non possit magis mundus quam respublica carere; seu tanquam Imperatore, quo ut exercitus sic mundus indigeat; seu tanquam Gubernatore, qui mundum, velut navim regat; seu tanquam Chorago, qui partes mundi ut chori

mo-

moderetur, juxta prænotionem qua præjudicatum habet, non esse ordinem sine ordinante.

At quam infelix labor est res excusare, quæ excusari nolunt. Cum posteriori anticipatione quam ex visu haberi voluit, ipsi Epicuro in os contradixerit, qui scilicet id imprimis in omni Philosophia laboravit, hunc quem videmus ordinem sine ordinante esse posse; Deique notitiam e mundi contemplatione deduci non posse. Priori eodem quo prius devolvitur rei probatio, scilicet in populi rumorem, quem tamen Epicurns præ aliis omnibus aspernatus est, atque insigni isto loco in Epistola ad Menœceum germanas de Diis prænotiones falsis multitudinis suspicionibus semper opponi voluit; at parvi est sibi Epicurum contradicere, majoris est plerumque nihil dicere. Sic enim si rursus ab eo percontemur unde ista tam firma hominum omnium de iis consensio? ab anticipatione, inquit. At unde ista anticipatio? eam ab hominum consensu ortum habuisse prius definiverat. Neque felicius rem explicare potuit Gassendus, cum communem de Diis opinionem ab anticipatione

tione deduceret, & viciſſim anticipationem a communi opinione. At ut omni candore cum tam eximii candoris viro agam; detur Gaſſendo Epicurum a majorum traditione, Dei notitiam accipere potuiſſe; atqui quid profuit ſi noluit? ſiquidem nullum omnino Deorum cum hominibus eſſe aut uſquam fuiſſe commercium expreſſe docuerit. Qui itaque anticipationem ſeu notitiam de Deo quoquo modo habere potuiſſet ex auditu, cum ea nec ortum habeat a proprio ſenſu nec ab alieno; neque enim ſi quis ſe Deum quovis ſenſuum percepiſſe dixerit, fide dignum arbitraretur, ſed potius aut impoſturæ aut delirii accuſaret, cum ea anticipatione præoccupatus ſit, nihil minus fieri poſſe quam Deos quicquam cum hominibus communionis habere? Dicet fortaſſe Gaſſendus a primis generis humani Parentibus primum traditum eſſe Cœli & Terræ conditorem, atque anticipationem ab ea traditione omni fide digna ortum duxiſſe. At pro ſe dicat, non pro Epicuro; cum ipſe fidentius nihil quam omnem mundi opificem aſpernatus fuerit; omniaque (Numine ſecluſo) caſu & fortuna tum fieri poſſe tum

facta

facta fuisse imprimis decreverit; atque adeo qui proximi ad rerum initium vixerunt, non alia ratione ad Dei notitiam pervenire possent, quam qui postea, quique hodie; adeo perspicuum est ex Epicuri effatis tum nullam omnino anticipationem ad mentem nisi per sensus permeare, tum nullam de Deo per sensus transire posse, quod perinde est ac si simpliciter & aperte quamlibet de eo notitiam haberi posse negaverat.

§. 8. At denique si interius & propius accesserimus, post has omnes de anticipationum principio & criterio captiones, eas tandem neque a sensibus neque a ratione, sed solis ab insomniis ortas fuisse docuit, id quod diserte de eo testatur ipse Diogenes Laertius, cum ratarum sententiarum primæ proxime subjungit. Ἐν ἄλλοις δὲ φησὶ τοὺς Θεοὺς λόγῳ θεωρητοὺς, οὓς μὲν κατ᾽ ἀριθμὸν ὑφεστῶτας, οὓς δὲ κατὰ ὁμοιοείδειαν (ἔκ τε συνεχοῦς ἀποῤῥύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτετελεσμένων) ἀνθρωποειδεῖς. *Aliis vero in locis aut Deos menti apparere nullo numero aut soliditate consistentes, sed similitudine quasi homini formes propter affluxum continentem imaginum ad ex-*

exhibendam menti nostra talem naturam comparatarum. Quibus apertissime homines in Deorum conceptum nulla alia ratione venisse declaratum est, nisi innumerabilium phantasmatum & imaginum hominibus similium affluxu, quæ animis nostris apparere videntur.

§. 9. Neque magis illa altera fraude reprehensionem effugisse videntur Epicurei, se scilicet non intelligere illam corporis voluptatem, quæ in motu ipsaque voluptatis actione consistat, sed eam quæ in stabilitate, seu tali animi tranquillitate, quæ omni dolore detracto, percipitur. Cum ista quoque felicitas, quæcunque sit, tota in corpus refundatur, eo quod mens nihil habere possit, quo gaudeat; nisi quod corpori bene sit. Immo, inquiunt, non modo quod corpus dolore sed quod mens ipsa omni molestia & ægritudine liberetur; atqui nihil est, inquam, secundum Epicureos, quo animo dolendum est, nisi quod corpore doleamus, adeo ut ista animi tranquillitas in idem redeat cum corporis indolentia; sicut & corporis indolentia in eam tandem voluptatem desinit quæ in motu constituitur,

cum nulla sit felicitas neque animi neque corporis, nisi quæ actione quadam percipiatur; si enim nulla sit perceptio, quam tranquilla cunque quiete fruamur, non beatiores sumus quam saxa & stipites; atque idcirco non in ipsa quiete ponitur felicitatis vis & ratio, sed in iis actionibus, quibus optime gaudere possumus, dum quieti sumus, eæque sunt omnes aut corporis aut animi; corporis quatenus sensus suavi & jucunda motione afficiatur; animi, quatenus corporis voluptatibus delectetur; at in corpore detracto omni sensu non major erit voluptas quam in cadavere: adeo ut plane tandem omnis ejusdem felicitas in ipsam sensuum oblectationem reducatur. Neque quidem aliam voluptatem confert ipsa corporis sanitas seu doloris amotio, nisi quod dum ea fruamur, illius voluptatibus jucundius frui possimus, cum nihil aliud habeat corpus quod agat aut quo sibi placeat. Neque etiam quicquam confert mentis tranquillitas, nisi quod cum nullo angore crucietur, se delectet corporis voluptates contemplando, dum de præteritis meditetur & futuras expectet, scilicet cum quas qualesque

que animæ voluptates intelligant, aperire velint, ei nihil vitæ beatæ tribuunt, nisi quod spe aut memoria corporis voluptatibus, quotiescunque velit, frui valeat. Posthæc nihili refert an Stoici Epicureos calumniati fuerint necne: cum iis nihil turpius suis omnibus calumniis affingere potuissent, quam ipsi de se in defensionibus suis fateantur. Quid enim si nunquam dixisset Epicurus, *Nec equidem habeo quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates quæ sapore percipiuntur; detrahens eas etiam quæ auditu & cantibus; detrahens eas etiam quæ ex formis percipiuntur oculis, suaves motiones sive quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet e sensu?* Quid si nunquam dixisset sapiens Metrodorus, *Omnia pulchra, sapientia & subtilia animi inventa propter voluptatem carnis spesque eo pertinentes esse constituta, & omne opus inane esse quod non eodem tendat?* Quid si ad fratrem Timocratem nunquam scripsisset, *Quanto sum gaudio perfusus, quanta audacia animatus quod ventri rite gratificari ab Epicuro didici?* Si enim non dixerint, dicere oportebat, cum nil nisi istiusmodi fla-

gitia omnis eorum disciplina doceat; si enim vita beata in sola voluptate ponatur, sique nulla sit nisi corporis voluptas, neque corporis nisi quæ e sensuum fruitione oriatur; calumnientur pro sua malignitate Stoici, nunquam quicquam turpius de iis fingent, quam de se ipsi dixerint, & quid mirum! cum nihil turpius aut dici aut fingi potuisset. Sed vitam sobriam (ajunt) & frugi cibisque simplicissimis contentam vixit Epicurus. Quid inde? cum non de moribus sed de dogmatis quæratur, quæ talia fuisse demonstravimus, ut quomodocunque vixerit, nil nisi ut corpori & cuti bene esset, cordi habere posset. Et quidem quanquam probus nequaquam foret, potuit non esse insanus; ita ut si parcius victitaverit, non virtuti sed ventriculo debeatur, quem ferunt adeo non robustum habuisse, ut quotidiana vomitione exonerare coactus sit. At quibus moribus cum suo contubernio vixerit, sibi solis notum est, cum inter ptoprios hortulos delituere, ita ut quicquid sceleris commiserint, inter se & sine testibus peractum sit. Atqui nihil istiusmodi hominum gregi est familiarius quam cum omnia flagitia inter se

pa-

patrari noverint, ut nihil non probitatis & virtutis de se invicem jactarent. Verum, inquiunt, ipse morti jam proximus, cum detraherentur omnes corporis voluptates omnesque animi larvæ, en quanta in lætitia fuerit. *Cum ageremus vitæ beatæ & eundem supremum diem, scribebamus hæc. Tanti autem morbi aderant vesicæ & viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem accedere posset, compensabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque nostrorum.* Quænam inventa? Deum res humanas non curare; hominum animas morte extingui; nihil felicitatis post hanc vitam nos manere; nihilque in hac vita, nisi quod ad corpus pertineat, esse? At ista sane solatia nulla cuiquam jam morituro, imo nihil nisi angorem & desperationem afferre potuissent. Cum, si retrorsum respiciat, quæ fuere voluptates, exoletæ sint, si prorsum imminet æterna mors, quam præ omnibus malis non potuit non timere; cum ex eodem naturæ affectu quo se amet, sui interitum exhorrere necesse sit. At si typhus, quo tantopere intumuit aperiatur; animal gloriæ va-

derationem, vel providentiam in mundo esse agnoscit, ut ex sequentibus videre est:

Omnis enim per se Divum natura necesse est,
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe
Nam privata dolore animi, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Pergit, *Epicurum* supra modum extollens qui liberavit homines a metu Deorum, omniaque scelera isto infrunito metu profecta fuisse ausus est affirmare: & postquam sacrificio Iphigeniæ Agamemnonis filiæ multis reclamasset, tali concludit Epiphonemate:

Tantum religio potuit suadere malorum!

Insuper gloriatur, se vias antea inaccessas tentaturum.

Avia Pieridum peragro loca nullius ante trita Solo.

Thomas Crech Oxoniensis, Vir doctissimus, non ita pridem ad *Lucretium* edidit notas & multa bona de authoris moribus prædicavit, quin etiam in linguam vernaculam metrice traduxit, ut ea versio Anglica-

na cum latino carmine contendere videretur, atque lauream omnibus Poetis Britannis eripere existimaretur, hinc populari innixus auræ, magno animo *Horatium* aggressus ligato sermone donare, sed (ut fama istis temporibus ferebat) iratis Musis atque invitis, quod ille tam indignanter & moleste tulit, ut eodem, vel simili fato sit functus, quo ipse *Lucretius*, qui manus sibi injecit violentas; Tristissimum quidem fatum, sed memoratu dignum.

§. 11. Hactenus de Atheis, qui aut per qualitates & formas, vel per atomos & inane philosophati sunt, restat tertium Atheismi genus *Hylozoicum* passim apud *Cudworthium* dictum, cujus inventos *Strato Lampsacenus* fuisse dicitur, physicus autem idcirco appellatus est, quod in ea speculatione præ cæteris diligentissime versatus sit. Fuit autem & præceptor *Ptolomæi Philadelphi.* Nullum præter materiam Deum statuebat, sed ut evitaret absurditates Epicureas, ex concursu atomorum fortuito promanantes, vitam materiæ essentialem esse dixit. Imo quælibet atomus vita, atque appetitu & perceptione secundum *Stratonem*

nem erat animata. quæ repetitis actibus atque exercitiis, facultatem dicursivam, & fruitionem assequi posset, ut maximo suo commodo & utilitate sese disponeret, & sibi provideret, ut plane hoc pacto non opus esset ullo Numine. Quapropter apud *Ciceron. lib. 1. de natur. Deor.* '*Nec audiendus Strato, qui physicus appellatur, qui omnem vim divinam in natura esse sitam censet, qua causas gignendi, augendi, minuendique habeat.* Huc referendus est *Diodorus Siculus* judicio *Stillingfletii*, quia passim ejus historia Atheismum sapit: Imo hinc inde insinuat, se in sententia Euhemeri Messenii fuisse, omnem Religionem a Politicis esse excogitatam affirmantis. In principio suæ historiæ, duas fuisse Philosophorum sententias ait, de mundi Origine, unam, mundum in eodem statu quo est, ab æterno fuisse, alteram vero, ex indigesta mole, omnia atque singula corpora sensim a se invicem separata, atque in hasce formas, quas jam induunt tandem redacta; atque terram calore solari tepefactam, & imprægnatam, produxisse animalia bruta, atque homines. Ut si quis collationem institueret inter *Diodorum*

dorum & *Lucretium*, illum ab hoc doctrinam suam de rerum formatione accepisse mutuam constet. Quandoquidem tempore Diodori, quod fuit Augusti, in magno pretio erat *Lucretii* Poema, & ille linguæ latinæ bene gnarus. Adde, quod hæc Philosophia stabilit ejus hypothesin de rerum origine: refert mures a limo Nili calore solari quotannis productum iri? & quidni & animalia cætera? *Ovidius* habet Versus hujus commatis nonnullos.

Altera pars vivit, rudis est pars altera tellus. Sed hæc sunt verba fabulosa nulli fidei, nisi Ægyptiacæ innixa, isti mures enim aliunde, verosimiliter vi aquarum fereban. tur, & subsidente Nilo, extricabant se a limo jam indurescente, in quo, ut antea, mures vivere non poterant. Recentiores Philosophi atqne Medici satis probarunt, omnia animalia quantumvis minima, ova ponere, e quibus perpetim fætus excluduntur, ut merito omnes ejus generis fabulæ a doctis explodantur.

CA-

CAPVT VII.

§. I.

HI sunt præcipui, qui Atheistice philosophati inter antiquos; fateor alios esse hujus impietatis postulatos apud *Ciceronem* lib. de Natura Deor. aliosque Authores; sed aliquando minus recte, atque sæpius propter sermones aliquos Diis gentilibus nimium infestos. Post tempora Jesu Christi, per multa continua secula, hæreticos quosvis pessimos invenies, qui *Polytheismum* introducere in Ecclesiam, atque absurdissime varios *Eones* ponere maximopere conati sunt. Sed qui directe Atheismum statuerit, vix invenies, *Lucianus* equidem apud authores Atheus audit, sed forsitan injuria, cum præcipuus illius scopus in eo sit positus, ut vanitatem cultus gentilium ob oculos poneret: Christianos etiam aliquando acerbe satis, & petulanter, more suo profano scommatibus excepit, sed quod Numen supremum existere negaret, percipere ego quidem ex ejus scriptis non possum. Et postremo Plinius est recensendus, quem Philo-

lologum potiusquam Philosophum appellemus, qui ingentem rerum farraginem nullo judicio, nulloque delectu cumulavit; in his & viris quibusdam politicis brevi expiravit Epicureæ impietatis successio. Non modo quod fidei Christianæ ubique per orbem promulgatione extincta foret, sed quod Reges nimium experiundo edocti, tam perniciosa dogmata, quæ omne regimen plane evertebant, coercere, sui imprimis interesse reputarent. Neque rursum caput efferre potuit ante ultimum quod effluxit seculum, & primum Italiam invasit. Quo cœlo cum acrioris ingenii homines semper nascuntur, mirum non est si quidam vafra animi levitate ducti vim & acumen suum singulari nequitia ostentare cogitent. Cum igitur post diuturnam multorum seculorum barbariem bonæ literæ a viris quibusdam cordatis revocari cœperunt, quidam aut quod sibi nominis gloriam quavis alia ratione assequi desperaverant, aut quod ambitione & innovandi studio capti fuerant, flagitiosa quædam & impia dogmata secreto & e gurgustiis ausi sunt murmurare. Primi autem quibus huic stultitiæ viam aperire licuit,

tuti

tuti & incolumes Aristotelis autoritate muniti latuere: Quam maximam cum in scholis tot Seculorum serie obtinuerat, si quis eam ad fidem dogmati cuivis faciendam interposuerit, nihil aut malitiæ suspicari aut periculi extimescere potuerunt. Mirifice lætabatur tota Respublica litteraria, inquit *Wendlerus*, *de doctis Italiæ Naturalistis*, cum inter barbariem maximam terrarum omnium Occidentalium, divina tandem benignitas Viros excitaret Doctrinæ gloria florentes, qui elegantiora studia artesque ad humanitatem omnes pertinentes e situ quasi suo in pristinum vigorem revocabant. Nam monachorum deliriis tot seculis meliora ingenia ac studia crassissimæ Romani Papatus corruptelæ occuparant, ut in provinciis plurimis occultus plane ac prope penitus extinctus splendor literarum videretur. Hinc modis triumphabat omnibus, cum tantos inter renascentes literas videret Viros, qui maximis Principibus autores erant condendæ ubivis amplissimæ Librariæ Supellectilis, ut tum ad studia politiora adspirantibus non deessent necessaria doctrinæ instrumenta, qui-

quibus impenso sibimet ipsis thesauro eruditionis comparato ab omni literatura maxime instructi redderentur.

§. 2. Dolebat vero magnopere, quod restituto nunc ope cœlestis numinis divino cultu, atque efflorescentibus indies musarum domiciliis, plerique homines ad ostentandum ingenii acumen ut variarum rerum in agnitione versarentur, per totum vitæ tempus ita studiis navarent operam, ut ex profanæ scientiæ pruritu, frivolarum opinionum quas dudum in superioribus seculis orbis Christianus profligerat nimium electione delectati divini cultus sanctissimi, vel plane obliviscerentur, vel nimia insanientes Curiositate Chymærico Scholasticorum more, mystica sacra otiosis speculationibus indignis Christiano homini, perscrutarentur.

§. 3. Descendendum est itaque ad secula proxime elapsa, atque inprimis *ITALIA* nobis erit examinanda, quæ impiorum hominum semper fuit feracissima, testante *Petro Matheo*, Historico Gallo, in Histor. Henrici IV. *ingenia* (scribit) *quorundam in Italia sunt satis libertina, & quo Propiora sunt*

ſunt Pontifici, eo minus fulmen Vaticanum curant; de Anima, opinionem in deliciis ac voluptatibus ponunt, eamque pre ſalis grano habent, quod corpus a corruptione tutum ſervet, atque in hoc unice incumbunt, ne homines videri queant. Sic etiam Author alius a *Spizelio* allegatus: *Si Atheos quaris, nusquam plures, quam in ipſa Roma invenies, Quot Roma Cardinales, quot Pralati, quot regulares, irregulares ſunt, quibus facilius ex Homero aut Virgilio purgatorii fabulas perſuaſeris, quam reſurrectionem mortuorum.* Addamus verba Apolog. *Wilhelmi* principis Arauſionenſis: pag. 66. *In Domo principis Parmenſis Atheiſmus & aliæ Virtutes Romanæ in deliciis habentur, & hujusmodi nusquam uberius invenias, quam apud hæredes Petri Aloyſii.* Hinc etiam *Melanchton* aliquando italo Theologo occinnebat: *Vos Itali vultis diſputare, Deum ſeu Chriſtum eſſe in Euchariſtia, quem non creditis eſſe in Cœlo.* Neque abs re noſtra erit Hiſtoria *Sabini*, Melanchtonis generi, qui cum per Italiam peregrinaretur, & Cardinalem *Bembum* ob celebritatem nominis ſalutaret, ab eo fuit interrogatus, quid

quid *Melanchton* de immortalitate animæ, resurrectione corporis, & de vita æterna sentiret, cui cum respondisset, illum de his veritatibus plane persuasum esse, quod ex ejus scriptis satis appareret; regessit Cardinalis; æstimarem *Philippum*, Virum sapientem, si hæc non credidisset. *Müllerus* refert in *Atheismo devicto* pag. 223. Immo eo impietatis, & dementiæ ventum esse, ut passim immortalitas animæ negaretur. Inde in Concilio Lateranensi, ut serpenti malo occurreretur, decretum fuit, animam esse immortalem; nihilominus tamen JOHANNEM XXIII. legimus, in Concilio Constantiensi, coram Viris Celeberrimis plane negasse animæ immortalitatem, atque dixisse; post huius vitæ curriculum nihil esse aut sperandum aut metuendum. Neque huic impietate Secundus *Clemens VII.* Romanus Pontifex, qui moribundus pronunciasse dicitur, se illico trium rerum fore certiorem, de quibus per omnem vitam dubitasset vehementer, videlicet, an esset Deus? an anima esset immortalis? An denique esset altera vita, *Wolfius* Tom. 2. Lection. memorab.

§. 4. Et

§. 4. Et horum Certe in numerum, qui liberalibus doctrinis nimium vacantes errores fere maximos imbibere magno sæpe desiderio, mox adhuc ante tempora reformationis videtur jure referendus esse *Hermolaus* ille *Barbarus* nobili in Venetorum ditione genere natus, tanti ingenii Vir, qui in græcorum ac Latinorum literis doctissimus ut tenebrosa illa Plinii & Aristotelis opera illustrata è tenebris educeret, dœmonem sciendi curiositate maxima de ἐντελέχεια forte Aristotelis interrogavit: qui respondisse etiam vocula subsibilanti pœne sibi ipsi & Placentino barbare *perfecti habea* refertur.

Jov. in Elog. Doct. Vir. p. 53. Petr. Crin. de hon. discipl. c. 6. c. 11. Bal. Dict. Hist. crit. T. l.

§. 5. Ad non obscuram hujus æmulationem Florentinus ille Platonicæ Philosophiæ assertor *Marsilius Ficinus* versabatur: Is cum videret optimos græcorum Trepezuntium & Archyropilum in distributis inter se Aristotelicis operibus vehementer occupatos, nobilissimos etiam sectæ Platonicæ autores in latinum idioma traduxit,

adeo insatiabilis tenorem studii secutus, ut fuerit in absurdissimam cum Simphoriano Champerio opinionem deductus, Christi Sosandri nostri passionis imaginem in Vita & Carcere fuisse Socratem. Adeo impense huic placebat Gentilis Philosophus, cujus etiam dogmata satis avide ad certum temporis spatium suscipiebat. Notum est Socratem sub vitæ finem scepticum egisse de animæ immortalitate. In hac etiam parte Noster imitator strenuus fuit. Nam cum Mercato quem amavit ardentissime insigni Italorum Philosopho, de hac materia sermones intra privatos parietes frequentes habuit, & convenere inter se mutuo, ut qui primus fungeretur vita, de statu animæ post mortem superstitem alterum in certiorem redderet: Idem revera contigit. Ficinus enim primus excedens vivis apparuisse dicitur Mercato & hisce verbis eum compellasse. *O Michaël, Michaël immortalis est anima.*

Jov. Elog. Doct. Vir. p. 101. Thomas. in praef. ad Charpent. vit. Socr. Bonif. Hist. ludicr.

§. 6. Verum pietatis omnes limites expa-

ſpatiatus eſt ſubidem tempus notiſſimus ille horrenda impietate *Angelus Baſſus* a patria *Politianus* dictus, Florentinus Canonicus, qui uti illum Jovius commendat, *Vir erat diſtortis moribus*, qui multo libentius græcos Averrois codices & Ariſtotelis dogmata ſæpiſſime tractabat quam divina oracula, in quæ voces profanas effutire frequentes ſolebat, eo contentus, ut antiquitatis vindex ſummus nominaretur. Interrogatus enim aliquando an legeret Scripturam Sapturam Sacram, nauſeabundus reſpondit: *Semel legi librum illum, & nunquam collocavi pejus ullum tempus.* Quæ quidem verba alio in ſenſu nonnulli explicant. Tradunt enim eum lectioni Vulgatæ Verſionis Sacri Codicis incubuiſſe, cum vero conſignatam eam fuiſſe ſtylo ſimplici deprehendiſſet, e manibus indignabundum rejeciſſe, cum dictione elegantiori longe ſua omnia ſoleret exprimere. Sed neſcio, an iſthæc excuſatio firmo ſtare talo poſſit, cum idem prope de Pſalmis Davidicis ſenſerit, *Narrabat enim placere quidem ſibi illa antiqua carmina & continere ea honeſta præcepta, res tamen longe dulcius ſplendidiusque tra-*

di in Pindaricis odis. Pingi Ixionem in rota clamantem, multas imagines, multas acerrimas historias & gravissima praecepta me morari. Recte itaque videamus inquit Ludovicus Vivés (vir extra omnem animi irreligiosi suspicionem, uti de eo egregie Cl. Espencæus judicat) quid idem in pretio haberet. Disputavit quamdiu vixit, dicendum ne esset: Carthaginiensis an Carthaginensis, primus an preimus, & siquid otii ab hujusmodi nugis superfuit, Epigramma aliquod græce composuit in libidinis ac præposteræ veneris laudem. Hanc autem in piissimi hominis nequitiam divina ira pœnis gravissimis compensavit. Nam adolescentis cujusdam insano amore percitus in lethalem morbum incidebat, in quo mox delirantem eum, vox ipsa tandem & Vitalis Spiritus deseruerunt.

Jov. Elog. Doct. Var. p. 89. D. Peucer. Epist. ad Carlwviz. Melanch. Epist. ad Cratonem. Bal. Dict. Hist. Crit. T. III.

§. VII. Accenseo his Mantuanum illum Celeberrimum Philosophum *Petrum Pomponatium*, qui quidem plurimis fuisse Epicureismi cultor traditur, sed tamen jure me-

meritoque ab isto crimine videtur aliquo modo excusandus esse, cum nimium adhærens Philosophorum Veterum dogmatibus, contra animæ immortalitatem ad mentem Aristotelis in Academiis Italiæ publice pro rostris Philosophicis docuerit. Fatendum tamen etiam quod isthoc placito errores sæpe plurimi exorti sint, qua ratione commoti sub idem fere tempus Veneti fuere, Vulcano tradere profana dogmata, quibus ad dissolvendam Christianæ vitæ disciplinam credebant nihil pestilentius induci posse. Quippe naturæ nimium attribuebat, ad cujus effectus Christi etiam & Apostolorum miracula reducere primo volebat. Sed tamen manifeste testabatur, quod non sufficere possent rationes ex natura rei prolatæ, sed verbo Dei fidem esse potius habendam; quapropter ad extremum etiam Ecclesiæ correctioni se humiliter subjiciebat.

Bal. Dict. Hist. Crit. T. III. Biblioth. Antiq. Mens. Jun. 1705.

§. 8. Concilii Lateranensis decreto occasionem dedit Doctrina *Pomponatii*, qui *Bononiæ* docuit publice, mortalem esse animam, testante *Spondano* Annal. Eccles. Oc-

„casionem, inquit, prædictæ de Philosophis „Sanctioni dedisse dicitur *Petrus Pomponatius* Mantuanus, *Jovii* in Philosophia Præ„ceptor; qui enarrans *Aristotelem* & *Aver„roem* Bononiæ, animas post corporis mor„tem, vel dissolutionem interituras, ex sen„tentia Aristotelis probare conatus, Juven„tutem valde corruperat, se eo defendens, „quod Philosophice loqueretur, sed aliter, „cum Christianus esset, sentiret. Sed lubet ipsa verba *Pomponatii* a *Baylio* allegata hic apponere, quæ plane ab omni impietate nomen ejus liberare videntur apud candidos interpretes. *His itaq; sic se habentibus*, inquit, *mihi (Salva saniori sententia) dicendum in hac materia videtur*, quod quæstio *de immortalitate animæ est neutrum problema, sicut etiam de mundi æternitate; mihi namque videtur, quod nulla rationes naturales adduci possunt cogentes statuere, animam esse immortalem; quapropter dicimus, sicut Plato lib. 1. de legib. Certificare de aliquo, cum multi ambigunt, Solius est DEI; Cum itaq; tam illustres Viri inter se ambigunt, non nisi per Deum hoc certificari posse existimo - - - Quapropter dico, quod ante donum vel*

vel adventum gratia, multifariam per Prophetas, & bona Spiritualia hanc quaestionem terminavit, ut manifeste per Vetus Testamentum est videre; Novissime autem per Filium, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit & secula, eam quaestionem dilucidavit, sicut scribit Apostolus ad Hebraeos - - - Quanto lux distat a lucido, & veritas a vero, & quanto causa infinita potior effectu finito, tanto efficacius hoc demonstrat immortalitatem animae, quare si quae rationes probare videntur mortalitatem animae, sunt falsae & apparentes, cum prima lux, & prima veritas ostendant oppositum, si quae vero videntur probare ejus immortalitatem, verae quidem sunt & lucidae, sed non lux & veritas; quare haec sola via (revelationis) *inconcussa & stabilis est, caetera vero sunt fluctuantes - - - quare indubie, ipsam immortalem esse, asserendum: Verum ea via non incedendum est, qua hujus Seculi sapientes incesserunt, qui cum Sapientes se dixerunt, stulti facti sunt, quicunque enim hac via incedet, ut existimo, semper ut incertus & vagus fluctuabit.* Si bona fide haec protulit, atque

L 4 ex

ex animi sententia, non temere impietatis stigmate est notandus, cum nihil aliud adstruere videatur, quam hoc, quod sine Revelatione Divina, animæ immortalitas dilucide demonstrari non possit, quod non adeo abhorrere a vero videtur, cum hoc verissimum sit, nullum ens absolute esse immortale, nisi unum Deum, omnes alios Spiritus, atque substantias incorporeas Soli DEO immortalitatem suam acceptam referre debere, qui vult ut per omnium Seculorum ætates existant, quippe quæ sua natura aptæ natæ ad istam immortalitatem, cum nulla causa externa præter unum Deum illas possit destruere, aut in nihilum redigere; Deus vero voluntatem de illorum perpetuitase passim in Sacris paginis patefecit. A cucullatis Monachis sui temporis vehementer fuit exagitatus & passim pro Atheo habitus, quum ille ficta monachorum miracula exsibilaret, plane atque exploderet, in libro suo de incantationibus, ut videre est apud JOH. WIERVM de præstigiis Dæmonum lib. 5. cap. 17. *Pomponatius*, inquit, *dicere non veretur in Sanatione acquisita ex veneratione ossium Divis adscriptorum, si essent*

essent ossa canis. & tanta & talis de iis haberetur imaginatio, non minus subsequeretur Sanitas.

Hujus libri unus est Scopus probare omnia miracula vulgo pro Dæmorum præstigiis habita, meras esse effectus naturales, quod nimium plane videtur urgere, id nihilominus facit, salva miraculorum Evangelii veritate, quod patet. Ex p. 81. lib. Pomponatii *de Incantationibus* verba Ejus sic sonant, ad septimam opponentium objectionem respondentia. Ad septimam dicitur esse negandum quod ibi illatum est, videlicet legem Christi & Mosis ruere datis modis illis: quoniam quanquem aliqua quæ referuntur esse facta tam in historia legis Mosis quam legis Christi, superficialiter reduci possunt in causam naturalem, tamen multa sunt quæ minime in talem causam reduci possunt: veluti est de resurrectione Lazari quatriduani & jam fœtentis: de cæco a nativitate, illuminato: de saturarione tot mille hominum ex quinque panibus & duobus piscibus; de claudo a nativitate, restituto per Petrum & Johannem: de scaturitione fontis ex solo verbo; & sic de infinitis aliis, quorum nul-

lum poteſt reduci in cauſam naturalem, neque immediate fuiſſe factum per aliquam rem creatam: diciturque ulterius ex ſententia divi Thomæ in articulo V. quæſtionis de miraculis: nihil inconvenire duos effectus eſſe ejusdem ſpeciei, quorum unus eſt factus ex miraculo, alter vero eſt factus per cauſas naturales. Nam ut ipſe refert ſecundum Auguſtinum ſuper Geneſi, ſerpentes facti a magis Pharaonis, facti fuerunt per cauſas naturales, ex procuratione dæmonum: facti autem a Moyſe, fuerunt facti, oratione Moſis intercedente, ex divina virtute, quanquam ſerpentes omnes illi eſſent ſimiles.

Simon Portius, Erudiſſimus Vir Longe ſuperior erat Præceptore ſuo Pomponatio, quod ad peripateticæ ſcientiæ cognitionem, linguæ græcæ & latinarum literarum ornamenta dederit: Sed longe etiam nequiora dogmata publicæ luci exponebat. In ſuis enim diſſertationibus *de anima & mente humana* animas cum corpore vere interituras magno eccleſiæ Scandolo credebat. Quapropter opus iſthoc impium, & porco non homine autore dignum, in Bibliotheca judicat Geſnerus. Thuanus Libr. 13. p.276.

Et

Ut autem obſcuriores nonnullos Heroum filios prætercam, cum nihil lucubratione dignum attulerint, non modo quod Philoſophiam mechanicam & veterum politiorem, ſed ne quidem barbaram iſtam Scholaſticorum intellexiſſe videantur. Teterrimi hujus fœtoris omnium graviſſime olere videtur Andreas Cæſalpinus Aretinus, qui ut olim Ariſtoteles (quem quid velit recentiorum hic primus & pene poſtremus cepiſſe viſus eſt) cauſam omnium productricem attulit, ita tamen ut eidem omne Providentiæ imperium detraxerit, quo ſublato Deum eſſe dicat an omnino tollat nihil intereſſe demonſtravimus. Primum itaque Motorem, *Intelligentiam Speculativam non Activam* eſſe ſtatuit; deinde intellectum ſpeculativum eum eſſe voluit, qui nihil cujusvis finis gratia operatur, ſed ſola contemplatione totus occupatur; activum autem, qui ad finem reſpicit, atque eundem ut aſſequatur, artem & conſilium adhibet; Deum itaque cum nihil aliud per omnem æternitatem niſi ſui ipſius perfectionem contempletur, nihil efficere aut voluiſſe aut cogitaſſe, quanquam ipſo nihil tale cogitante, omnes naturæ

turæ effectus inevitabili quadam necessitate inde nascantur; etenim cum sit summum numen summe beatum, summe appetibile quoque esse, necesse est; summe autem appetibile cum sit, non potest quin in aliis appetitum gignat, atque adeo reliquis intelligentiis, quæ singulis cœlorum orbibus insistunt, motum quendam eorum appetitum ciendo imprimit, quem suis orbibus impertiunt, orbes elementis, quorum diversis motibus & misturis omnis generatur natura, atque adeo arbitrio, ad exitum, nihil consilio, sed bruta necessitate facta fuisse omnia.

Hunc eadem impietatis via & ratione non modo secutus est, sed superavit Claudius Berigardus Molinensis, qui una cum impia Aristotelis disciplina obsoletam istam quoque veterum Jonicorum (quemadmodum de iis ipse censuit ac alii plerique censuerunt) revocavit; cum enim disputationes suas dialogorum consuetudine perscripsit, sermonem in duas personas Charilaum & Aristæum distribuit, quorum alter Aristotelem, qui præter materiam, quemdam primum motorem, providentiæ tamen expertem posuit, alter antiquos istos defendit,

quos

quos omnia corporea esse velle, nullumque primum motorem ab universo corporeo distinxisse putavit. Atque adeo uno eodemque opere diversas cum Epicureæ tum Peripateticæ impietatis rationes adornavit, quanquam Aristotelis disciplinam fusius & ardentius excoluit, atque eam potissimum quam libro Physicorum octavo, librisque de Cœlo & rerum Generatione tradidit, quibus universam mundi fabricam sine Providentia architectrice extruxisse se putat Philosophus. Neque nefaria sua dogmata disperse uno aut altero capite (ut Cæsalpinus) insinuavit, sed aperte omnem peripateticæ impietatis rationem secutus est, neque numinis providentiam ut ille ererum natura tollere satis habuit, nisi & salse dictis (qualia vir non admodum facetus potuit) increparet.

His duobus, sunt qui Hieronymum Cardanum annumerandum esse arbitrantur, quod omnia divinæ providentiæ phænomena astris aliisque causis naturalibus ascribi voluerit, atque adeo inter alia quampluri-ma quæ in naturali Philosophia se invenisse gloriatur, pene maximum existimat, quod

ad

ad generationem animalium perfectorum non aliud principium requiri nisi calorem cœlestem invenerit, quo fieret ut hominum genus omniaque animalia nulla numinis providentia sed sola siderum vi gignantur, quæ cum nulla ratione aut consilio prædita sint, si iis mundus administraretur, sequitur nullo omnino numine administrari. Atqui vero de homine minime vafro judicium nimis acre ferre videntur; & sic quid impium fortasse dixerit (ut quidem nihil est, quod animi actu raptus sibi consenraneum non dixit) ei veniam dari oportet, ut aliis omnibus damus quos sui compotes non esse novimus. Magnum enim Cardani ingenium magna dementiæ mixtura contaminavit, unde cum per intervalla in insaniam incideret, idem illi quod aiiis omnibus insanis contigit, ut qui multa dicunt quæ nec sentiant nec meminerint. Insanienti autem proximum vixisse quis de isto homine dubitare possit, qui (ut optime narrat Naudæus) "somniis, ostentis, auguriisque vanissimis "& maxime ridiculis fidem adhiberet; qui "totus ex delirantium vetularum observa-"tionibus penderet; qui quoties vellet, a

sen-

ſenſibus per extaſim peregrinaretur ; qui"
ſpectra & larvas videret ; qui paredrum ali-"
quem & ſibi faventem genium adeſſe vel"
ſtulte crederet, vel maligne mentiretur ;"
qui uxorem duxit ſine dote ; qui filiorum"
educationem neglexit ; qui juniorem ex"
illis auricula avulſa, puerum vero nomi-"
ne Guilelmum, verberibus, licet imme-"
rentem ſæpius multavit ; qui ſe jactatum"
a patre pro ſpurio fuiſſe, & abortivo"
medicamento priusquam naſceretur ten-"
tatum refert ; qui pannoſus aliquando,"
mox ornatus in publicum prodiret ; qui"
inter amicorum colloquia lubentius nihil"
diceret, quam quod illis ingratum fore co-"
gnoverat ; qui Lunam non ſecus in cœlo"
de die quam noctu videret;qui Romæ diver-"
ſo ab aliis cultu ſpectandus incederet ; qui"
Bononiæ fulfultum tribus tantum rotis cur-"
rum aliquoties uſurparet, qui juvenis rixas"
miſcebat, adultus meretrices ſectabatur"
vir factus a ludis & alea non temperabat,ſe-"
nex quoque carcetem vitare non potuit ;"
qui denique probra vitæ ſuæ turpitudines-"
que vel minimas e privatæ domus ſecreto,"
ubi non ſecus ac aliorum hominum ſordes"
&

"& flagitia delitescere rectius potuissent, "non evulgavit modo, sed nauseandi ferme "per tot ineptias & narrationes inconditas "lectori obtrusit : Nam si facere isthæc sa"pientis est, nescio sane cur Orestes, Coroe"bus, Amphistites non ipsi quoque sapien"inter numerari possint.

Atque sane si quis quæ de se ipse scripsit, legerit, his omnibus longe dementiorem esse deprehendet. Quis enim nisi prorsus insanierit ea de se narraret; quæ si de inimico dixeris honos præfandus est? Quis tam grandia, & secum pugnantia de se mendacia fingeret? Quis tam vana de Spectris, Lemuribus, Geniis, Portentis, Auguriis, Insomniis, aliisque ejusmodi anicularum ineptiis crederet, iisque maxima vitæ momenta gubernaret? neque quidem insaniisse miremur, cum universis exagitaretur furiis, quarum singulæ quemvis sanioris, mentis in extremam dementiam impulisse poterant. Earum autem præcipuæ quatuor fuere; primnm anomala (ut ipse vocat) naturæ indoles, tum immensa cogitandi assiduitas, deinde immoderata gloriæ cupido, postremo maxima

ma totius vitæ calamitas, quæ omnia si cuivis hominum, Cardano certe singulari modo contigere.

§. 9. Pergamus; a multis Atheismi accusatus fuit *Petrus Aretinus*, propter ingenium ingens, *divinus* dictus, & propter scripta Satyrica *flagellum printipum*, neque minus fuit infestus Ecclesiasticis, ut ex Epistola *Johannis Paludani ad Dionisium Lambinum data patet: pene me fugerat, quod scribendum inprimis fuisse arbitror. A Cardinale Peronio editam esse audio orationem adversus* Petrum Aretinum, *periculum est ne, ut jampridem principum, ita posthæc & monachorum flagellum esse & nominari velit.* Post mortem hoc Epitafium meritus est.

Condit Aretini cineres lapis iste sepultos.
Mortales atro qui sale perfricuit.
Intactus Deus est illi, causamque rogatus,
Hanc dedit, ille, inquit non mihi notus erat.

Item

Hi jacet ille canis, qui pessimus ivit in omnes.
Demto uno, quem non noverat ille, Deo.

M Item

Item

Primorum Mastyx molli hac requiesco sub urna.
Viventi cui mens irrequieta fuit
Nulli ego mortali, superis si forte peperci,
Ignoti superi forte fuere mihi.

Item

Amarus jacet hic viator, hostis
Vivorum simul atque mortuorum
Diis convitia nulla dixit & se
Excusans sibi cognitos negavit.

Atque apud *Laurentium Grassum in Petri Aretini* vita, Italice sic habentur eadem Carmina.

Qui giace l' Atretino Poeta Tosco,
Che d' ognun' disse mal, che di Dio,
Scusandosi col dir, io non lo conosco.

Plures asserunt hæc carmina Sepulcro ejus esse inscripta Venetiis, sed alii absurdissimum hoc esse opinantur, cum Athei neque Ecclesiis sepeliri neque Epitaphiis honorari soleant. *Spizelius* in Scrutin. Atheismi p. 18. Ita de eo: *Aretinus* horrendi istius libri de tribus impostoribus Author: etsi eo nomine *Campanella* in Atheismo Triumphato suspectum habeat *Poggium Florentinum*, & *Thomas*

mas Browne in Relig. Med. Sect. 19, nefarii illius libri Authorem dicat *Bernardinum Ochinum*. Quomodocunque res ſe habeat, ſunt qui affirmant, *Aretini* opera Atheiſmum neutiquam ſapere, imo in Volumine ſecundo Epiſtolarum Henrico Octavo Regi Angliæ dicato, hæc verba invenio: *Siche merito ſcuſà delle ciancie da me compoſte per ridere & non per malitia*: Ita ut ſi aliquando æquo liberius atque nimis jocoſe, de rebus Sacris luſerit, cupiat hoc ſibi condonari, cum non animo malo talia unquam protulerit.

§. 6. Quod attinet librum *de tribus impoſtoribus*, nonnullis videtur is eſſe merà chimera, de qua multi multa loquantur, ſed nemini unquam viſa. Fateor, *Müllerus* in Atheiſmo devicto affirmat, ſe noſſe virum ſibi familiarem, qui poſſideat iſtum librum, ſed ſe vidiſſe non ſcribit, imo hodiernus Hamburgenſis Theologus *Frid. Mayerus* excerpta ex eodem libro in apricum promiſit propediem ſe editurum; gratum proculdubio multis facturus, ſi promiſſis ſteterit. Sed cur *Ochinus* habendus ſit Atheus, non video, cum ejus ſcripta profe-

cto elegantissima, passim pietatem atque observantiam erga Deum maximopere spirent. Liber de libero arbitrio, quem propter intricatas materiæ difficultates vocat Laberinthum, Reginæ Angliæ Elisabethæ in scriptus haudquaquam impietatem sapit. Multo minus *Catechismus*, in quo eleganter statim ab initio, Dei Existentiam demonstrat, modo *Cartesii* non plane dissimili. *Audiamus illum*: *Prego*, *inquit*, *Illuminato mio*, *che tu mi dica*, *S' egli ti par essere o no?* Illuminato. *Mi par essere*, mà per questo, non *son certo*, *che io sia*; *imperoche in parermi esser*, *forse m'inganuo.* Ministro. *E'impossibile*, *che a chi non e*, gli paia d'essere, *percio poi ch'ei ti par'essere*, *bisogna dire che tu sia.* Id est: Mi discipule illuminate rogo te, bona fide, ut mihi dicas, an existimes, te existere, nec ne? Illuminat. Ita sane, opinor me existere, sed tamen forte decipior. Minister. Est impossibile, ut tibi existere videaris, si revera non existeres, nam dum tibi existere videris, necesse est dicere, te existere. Hisce positis, probat eleganter, summum Numen infinite perfectum necessario existere. Unde

de certe miror, cur litteratorum Hallensium unus neget, Ochinum scripsisse, Catechismum illum, nulli alii rationi innixus nisi quod ille nullam editionem viderit, præter eam, quæ diu post mortem Authoris prodiit, ac si nulla alia antiquior Editio unquam exstitisset, mutaturus certe sententiam, si hujus Catechismi Editionem Basiliensem, Anno M. D. LXI. vidisset, cujus mihi copiam Cl. PARAVICINVS, Gymn. Bas. Conrect. Cæterum hunc *Ordinem* ad sententiam *Socini* Senensis sui concivis inclinasse, ego non ausim negare; Sed illum esse Atheum, jure negare possum, tot Concionum voluminibus lingua Italica, alisque scriptis contrarium testantibus.

§ II. Huc etiam accidit memorabilis illa Athei Itali historia apud *Henricum Stephanum a Spizelio* citatum ubi refert, nobilem quendam Italum in civili bello Gallico, sclopeto trajectum se Regi commendasse, (cum alii moribundi DEO commendare soleant.) Eundem sæpe in vita familiaribus confessum, desiderare quidem, ut juxta cum aliis in Deum crederet, sed non posse, insuper se oblectasse blasphemiis con-

tra Deum, historiasque sacras data occasione traduxisse. Sic *Nannus Grossus* & *Lucas Orafus* Florentini, per totam vitam Atheismum professi sunt. Horum alter moriens crucifixi statuam sibi afferri curavit, cui se commendaret, sed nullius alterius quam *Donatelli* manufactam: alter potentiori se commendavit, sive Deus ille, sive Dæmon esset, cum hac horrenda exclamatione: *chi piu puo, piu tiri!* (i.e.) Qui plus potest, plus rapiat! Hactenus *Spizelius*, Porro *in Historia Universali* Jo. Læti *refertur de* Cosmo *Italo, homine literato:* Atheus ex vita migravit, moriturus *nec parochum nec capucinos ferre voluit, monitus ut extremum reformidaret judicium, affatim risit, stulti, inquit, abite, nulli sunt Diaboli, nisi hostes nostri, qui nos in hoc mundo vexant, neque alius Deus est, præter reges & principes, qui soli nos possunt juvare & nobis benefacere.*

§. 12. Pauca denique de *Nicolao Michavello* Florentino, sui temporis rerum politicarum maxime guaro, antequam Italiæ valedicam, memoranda sunt. Quod attinet ejus pietatem erga Deum, maxima sunt ani-

animorum divortia, etenim laudatur ab his, culpatur ab illis, propter libellum, quem ſcripſit de *pincipe*. *Baconus* de augmentis ſcientiarum. lib. 7. c. 2. honorifice ſatis de hoc libro ſcribit. *Eſt quod gratias agamus Machiavello*, *inquit*, *& hujusmodi ſcriptoribus, qui aperte & indiſſimulanter proferunt quid homines facere ſoleant, non quid debeant.* Obſervarunt viri docti, hunc librum nulla virga cenſoria fuiſſe notatum, usque ad tempora Clementis Octavi, qui eum damnavit ex inſtigatione Jeſuitæ *Posſevini*. *Spizelius* in Scrutinio Atheiſmi p. 132. longe pejus de eo judicat, atque refert, quod cum Florentiæ jam in extremis eſſet, & ſcrupulis agitaretur conſcientiæ, ob metum damnationis jam imminentis, in mentem vero ei recurreret, quod viri illi magni, orbisque ſapientes *Ariſtoteles*, *Plato*, *Alexander* & ſimiles damnati ſint, & quod viri ſancti, ut plurimum fuerint homines miſeri, in mundo deſpecti, variisque anguſtiis & afflictionibus preſſi, inſana voce dixerit; Malo in Infernum deſcendere cum magnis illis & illuſtribus viris, quam cum infimis iſtis, & vilis conditionis hominibus

in cœlo degere. Neque de illo benignius sentit *Müllerus* in Atheismo devicto, p.677. ubi increpat ejus Apologistas, quod frustra ex ejus opere conentur demonstrare, Machiavellum aliter sensisse, quam scripsisse; *Imo clare sensus animi exprimere videtur lib. 2. disput. de Repub. cap. 13. Id mihi significare videtur Xenophon, inquit, quod necessaria sit ars quædam decipiendi, si altum fastigium ascendere, & insignes aliquos progressus facere velit : Hac arte Johannes Galeazzius, Principatum Mediolanensem, Bernardo avunculo suo eripuit*, addens, *fraudem necessariam putamus omnibus, quicunque ex parvis crescere conantur, quæ tanto minus turpis est, quanto quis magis illam poterit occultare, & honesto aliquo prætextu tegere.* An pius, vel impius fuerit, Deus cordis indagator unus novit, hoc tamen certe novimus, in *Machiavelli* animadversionibus ad *Livium* caput integrum reperiri *de necessitate religionis*, sine cujus auxilio & interventu nullus principatus aut dominatio diu subsistere possit: demonstrat etiam, nullum certius declinantis alicujus imperii signum esse, quam Religionis negligentiam. Me-

Merito denique memorandus eſt Giordano Brun, qui publicis flammis impietatis poſtulatus periit, multis ille ſcriptis inclaruit. Scripſit librum cui titulus Jordani Bruni Nolani Camæracenſis Acrotiſmus, ſeu rationes articulorum phyſicorum adverſus peripatelicos Pariſiis propoſitorum, re impreſſus Wittenberg. 1588. ibidem invenies Epiſtolam ad Henricum Tertium Galliæ Regem, & aliam Pariſienſibus & aliis e Generoſiſſimis Galliarum regno philoſophis ſentatioris philoſophiæ dogmatum amicis & defenſoribus, in eodem libro extat quoque *Excubitor*, ſeu Jo. Hennequini Apologetica declamatio habita in auditorio regio Pariſienſis Academiæ in Feſt. Pentecoſt, Anno 1586. pro Nolani Articulis quibus adjunguntur Articuli de natura & mundo a Nolano, alium edidit librum cui titulus, de ſpecierum Scrutinio & Lampade combinatorio Raimundi Lullii Pragæ 1588. itidem de progreſſu Logicæ Venationis, alium de monade, numero & figura, item de innumerabili, immenſo Francofurti 1591. in octav. item de imaginum, ſignorum & idearum compoſitione, ad omnia inventionum, diſpoſitio-

num & memoriæ genera libri tres Francofurt. 1591. in octav. de Umbris idearum Parisii 1582. Cantus circæus ad memoriæ praxim ordinatus, quam ipse judiciarium appellat Parisii 1583. De Compendiosa Architectura & complemento artis Lullii Parisiis 1580. Artificium perorandi editum ab Alstedio 1612. dicitur ab adversariis illum affirmasse plures mundos exstitisse ab æterno, atque gentem judaicum tantummodo ab Adamo & Eva esse oriundos, nationes vero alias ab alia stirpe, Adamitica multo antiquiore satos, insuper miracula Moisaica magiæ mera fuisse effecta ideoque in Campo floræ in Roma combustus Feb. 9. 1600. creditur Cartesium a Bruno sua principia ut plurimum hausisse, *extitit inter novitios Philosophos Jordanus quidam Brunus Nolanus, quem Cartesianæ doctrinæ antesignarum jure dicas: adeo accurate omnem propemodum ejus compositionem præsignavit in eo libro de immenso & innumerabilibus inscripsit.* Censura Philosoph. Cartesian. cap. 8. p. 215. edit Paris 1689. apud Baylium. Ex libello in 12. cui titulus, Giordano Bruno Nolano de la causa, Principio, & uno. Stampato in Venetia Anno

Anno MDLXXXIIII. hæc pauca excerpſiſſe placuit. E ſi hà per modo di concluſione, che e coſa indegna di rational poſſer credere che luniverſo & altri ſuoi corpi principali ſieno inanimati; Eſſendo che da le parti & eſcrementi di quelli derivano gli animali che noi chiamiamo perfettiſſimi, quæ ſane verba videntur innuere omnibus perfectionibus vita puta & intellectu materiam ſua natura eſſe inſtructam, quod erit manifeſtum ex ſequentibus; gli Ariſtotelici, Platonici & altri ſophiſti non han conoſciuta la ſuſtanza de le coſe, & ſi moſtra chiaro che nelle coſe naturali, quanto chiamano ſuſtanza oltre la materia, tutte e puriſſimo accidente, quæ verba omnem notionem *mentis* vel *Spiritus* e medio tollit, quam theſin pro fundamento ſuæ philoſophia poſtea poſuit Spinoſa. Porro laudat hæc ſua principia, utpote ad vitæ felicitatem utramque paginam facientia, quia metum inferni atque mortis prorſus diſſipat. Et che da la cognitione de la vera forma ſ' inferiſce la vera notitia di quel che ſia vita, & di quel che ſia morte: & ſpento a fatto il terror Vano & puerile di queſta; Si cognoſce una parte

do

de la felicita che apporta la nostra contemplatione secondo i' fondamenti de la nostra philosophia: atteso che lei togle il fosco velo del pazzo sentimento, circa l'orco, & avaro Caronte onde il piu dolce de la nostra vita ne se rape, & avelena. & p. 52. sequentia carmina posuit;

O genus attonitum gelida formidine mortis
Quid Styga quid tenebras, & nomina vana timetis,
Materiam vatum, falsique pericula mundi?
Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis:
Morte carent animæ, domibus habitantque recepta
Omnia mutantur nihil interit.

neq; per animam aliud videtur intelligere nisi animæ mundi particulam, non volete inquit, che sia altra forma che questa æterna compagna di la materia. Hor quanto alla causa, effetrice, dico l' efficiente physico universale essere l' intelletto universale, che é la prima & principal faculta del anima del mondo

mondo, & postquam affirmasset animam mundi causam este efficientem omnium rerum, explicat his verbis quid ille per animam mundi intelligit, & per intellectum universalem, Lintelletto universale é lintima piu reale, & propria faculta é parte potentiale de lanima del mondo, questo e uno & medessimo che empie il tutto, illumina luniverso & indrizza la natura a produrre le sue specie come si conviene, & cossi ha rispetto alla produttione di cose naturali come il nostro intelletto, alla congrua di specie rationali.

CAPUT VIII.

§. I.

Quam ferax porro monstrorum istorum sit *Gallia*, (inquit *Spizelius*,) non ipsa solum testatur experientia, verum cumprimis etiam libri, tractatusque varii contra Atheos vernacula ibidem editi: imo una *Lutia* Anno 1623. jam 50000. continebat Atheos, ut *Mersennus* ait Comment. in Genesim. cujus etiam hæc sunt verba: *Ne quis suspicetur, me injuria conqueri, vel enim paucos, vel nullos esse, qui Deum negent, sciat*

sciat velim, non solum in Gallia, sed etiam in aliis regnis, tantam esse nefandorum Atheorum multitudinem, ut jure mirari possimus, quomodo Deus eos vivere sinat, quippe qui bonitatem infinitam in eis ad resipiscentiam expectandis effundit. Conqueritur similiter in præf. Tract. cui titulus. Questions rares &c. ad Cardinal. Richelieu. *Quod ante aliquot annos impietas sub nomine Atheismi vomuerit blasphemias contra Deum, quæ etiam flammis in terris sit expiata; Sed quod renata sit in Corde Galliæ, ex cineribus infelicis illius* (Vaninum notat) *alia secta, quæ sub nomine magis specioso exposuerit venenum, magis contagiosum, quam prius, Complices hujus sectæ fabricasse sibi nomen* Deistarum, *ad animas simpliciores & credulas decipiendas.*

§. 2. Mittam in præsentia *Rabelasium* aliosque Gallos a multis Atheismi postulatos, & mentem appellam ad historiam cum primis infamis illius *Julii Cæsaris Vanini*, qui aliquandiu virus suum ita texit, ut nova quadam Methodo Atheorum præ se tulerit convictionem, magno siquidem in specie molimine, libroque peculiari, quem *Am-*

Amphitheatrum vocavit *æternæ providentiæ divino-magicum.* Providentiam divinam adversus Philosophos veteres, Epicureos cumprimis, & Peripateticos & Stoicos defendere instituit revera tamen ubique turpiter destituit, atque prostituit, id agens sollicite, ut incautiores in Scepticismum, imo in ipsum Atheismum sponte sua protrahantur. In hac scelerata opinione perstitit ad rogum usque, & vitæ suæ extremum terminum, quam pertinacissime. Cumque more solito imponeretur ei, ut a Deo, a Rege & Justitia, veniam postularet, negavit id se facturum; non a Deo, quando-" quidem eum esse, nec ipse crederet, non" a Rege, quod nihil in eum peccasset, non" a Justitia, sive a judicibus, quod nec in" eos deliquisset, si Diaboli essent in infer-" no, ut quidem hoc credi & dici soleat, se" devoturum Judices, ut ab illis auferan-" tur. Alii perhibent, illum dixisse, *se potius precaturum, ut vindicaret, sed quia certum non esset, Deum & Diabolos esse, ideo nec veniam a Deo & judicibus petiturum, nec vindictam imploraturum.* Memorabilis etiam extat relatio de hujus *Vanini* suppli-

pli-

plicio apud *Grammondum*. *Lucilius Vaninus*, inquit, apud plerosque pro hæresiarcha habitus, qui Deum negat. Medicinæ Professor erat nomine, sed re, seductor incautæ juventutis, Deum ignorabat, forte omnia fieri existimabat; Naturam pro matre optima, & omnium nutrice adorabat, ut dici possit ex multis error unus, quem pervicaciter profitebatur Tholosæ, loco sancto. Et ut novis allicimur, præcipue dum calescit primæ adolescentiæ sanguis, statim errorum sequaces habuit non paucos, ex iis quos schola recens dimiserat. Gente Italus, literarum rudimentis Romæ imbutus, Philosophiæ & Theologiæ incubuerat, magna spe; cum ad impia prolapsus, sacrum sacerdotii characterem polluit libro infami, quem scripsit in hunc titulum, *de Arcanis Naturæ*, quo non erubuit profiteri, Naturam rerum omnium Deam. Ob crimen, cujus in Italia reus agebatur, in Galliam profugus, Tholosam venit. Delituit *Vaninus* per tempus, donec illum libido in gloriam adegit, ut fidei Catholicæ arcana vulgaret, in problemata primum, dein in irrisum. Statim alta admiratione capti adolescentes, quibus

inter

inter nova placent maxime, quæ probantur paucis, &c. *Lucilius* ferocitate contumax, dum in patibulum trahitur, monachi ſolatium aſpernatus, objectam crucem averſatur, Chriſtoque illudit in hæc eadem verba; *illi in extremis præ timore imbecillis ſudor, ego imperterritus*, inquit, *morior*. Falſo ſane imperterritum ſe dixit Sceleſtus homo, quem vidimus dejectum animo, philoſophia uti peſſime, cujus ſe mentiebatur Profeſſorem. Erat illi in extremis aſpectus ferox & horridus, inquieta mens, anxium quodcunque loquebatur; & quamquam philoſophice mori ſe clamabat, identidem finiviſſe vitam ut brutum, nemo negaverit. Antequam rogo ſubderetur ignis, juſſus ſacrilegam linguam cultro ſubmittere, negat, neque exerit, niſi forcipum vi adprenſam, carnifex ferro abſcidiſſet. Reliqua abſumpſit ignis, in aerem ſparſi cineres. Hactenus Grammondus. Inſuper dum eſſet in extremis, publice faſſus eſt, Neapoli tredecim emiſſos, qui venenum hoc per omnem Europam ſpargerent, ſibi autem deſignatione certa Lutetiam contigiſſe, ubi ſtrenue execrabili iſto functus ſit munere, per ali-

quod tempus, donec ejus liber publicis flammis combureretur, eapropter quantocyus clam se surripuit; & Tholosam venit: & mox filiis *Cremailensis* Comitis factus Præceptor, sed non ita multo post detectus & in carcerem conjectus, & Decreto Parlamenti, ad vivicomburium, ut supra, damnatus. Vid. Tom. 5. de l'Mercure François p. 46. Variis Scriptis inclaruit *Vaninus*, imprimis libro, cui titulus *Amphitheatrum Æternæ Providentiæ Divino-Magicum, Christiano-Physicum, nec non Astrologico-Catholicum, adversus veteres Philosophos, Atheos, Epicureos, Peripateticos, & Stoicos, Lugduni impresso apud Viduam Antonii de Harsy, ad insigne Scuti Coloniensis, M. DC. XV. cum Privilegio Regis, porro honestissimis Approbationibus atque Carminibus ornato;* Ex quibus non possum, quin unicum exempli gratia, consulto interponam, (ut intelligat Lector, subinde in Ecclesia Romana, Atheorum operibus parcere calamum punctorium, & veniam dare corvis, dum vexat censura columbas:) Illa autem Approbatio sic habet: *R. D. D. Franciscus du Soleil Officialis ordinarius, & Metropolita-*

nus,

nus, *nec non Vicarius Generalis Substitutus Illustrissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi Lugdunensis, Galliarum Primatis*, *liber*, *qui inscribitur Amphitheatrum Providentiæ Æternæ Divino-Magicum*, *Authore Julio Cæsare Vanino*, *Philosopho*, *Theologo & Juris utriusque Doctore*, *ut in lucem edatur facultatem concedo. Lugduni die 6. Junii 1615.* huic Approbationi altera substituitur, quæ ita habet: *Has Exercitationes partim Philosophicas*, *partim Theologicas*, *Ego Jacobus Davaeyne*, *Regis Prosurator*, *typis mandari*, *tum demum in lucem edi consentio.* Alias Approbationes, ne cui multus videat, & æquo longior, prudenter transeo.

§. 3. Sed fortassis scire percupis; unde hic liber tantis ornamentis atque laudibus condecorandus fuerit a viris eruditis, quorum est officium, libros cognoscere? rationem unam atque alteram tecum communicabo; Earum prima hæc est, *Vaninus* ubique ficta religionis specie, atque pietate erga Pontificem & Jesuitas non vulgari, scripsit Defensionem Concilii Tridentini, Lutherum, Calvinum, Chemnitium sugillavit,

ut ille ipse memorat. *Ego Catholicæ matris Ecclesiæ filius in Apologia pro Tridontino Concilio, in Decreto de Sanctorum invocatione scripsi adversus Lutherum, existimantem ,,B. Franciscum ex vehementi erga Chri- ,,stum amore, propriis manibus seipsum fer- ,,ro stigmatizasse, quod a vero alienum est, ,,quandoquidem sic mortem sibi consciivis- ,,set, vel vitam saltem manifesto periculo, ,,ob inanem finem exposuisset, quod de se- ,,raphico viro præsumendum non est, pag. 70.* Quantum attinet ad Societatem Jesu, *pietatis & eruditionis altricem, Romanæ Ecclesiæ, & splendori fuisse, & ornamento, ipsamque Dei immortalis munere, tanquam Romanæ Ecclesiæ Palladium, cæterarum Relegionum columen totius Univorsitatis anchoram hominibus esse concessam* existimat. *Epist. ad Lectorem.* Unde dubio procul benignius de hujusmodi Viri scriptis proclive erat, ut ejus temporis censores judicarent. Insuper in hoc libro multa extant argumenta elegantissima contra veterum Philosophorum errores, ut facile rapiat incautorum animos in admirarionem sui, sed eadem opera detegit suam malitiam, dum

omni

omni nisu aliorum argumenta explodere conatur, loco quorum argumenta sua cabalistica atque perplexa substituit. Unum, exempli gratia, proferam *Averrois*, probabat is e motu, necessario DEVM existere; perabsurde, inquit *Vaninus*, non enim primi mobilis motor D E V S: *Entium vero partitionem a me fortassis Lector exiget subtiliorem; accipiat, non scholasticam, sed divino-magicam, sed cabalistam: neque ex Pythagoreis desumptam numeris, illustrius namque meditamur opus: illi cum septenarium numerum miris extollerent laudibus, non animadverterunt, præter alias nobilitates, illud quoque a natura obtinuisse, ut limes esset ac terminus numerorum inferiorum; sicut Novenarius omnium summus, ac perfectissimus, cæteros omnes arcet ac continet; neque ab ullo, nisi ab unitate augeri potest, ut denarius fiat, qui est omnium ultimus. Unitatis igitur omnipotentiam quandam celebramus, tum quia est finis, claudit namque Novenarium, in quo sunt omnes species, ac proportiones quantitatis, tam primariæ quam consequentes, seu resultantes; Longitudo, latitudo, pro-*

funditas, perfectum, imperfectum, divisibile, indivisibile, trigonum, cubum, oblongum, varielaterum, aequalitas, inaequalitas, absolutum, comparatum, simplex, multiplex, simile, diversum. In specie vero duplicitas, sesquilaterum, triplicitas, sesquitertium, quadruplicitas, superpatiens. Est autem principium, & formale, & materiale, & efficiens, & finis. Materiam esse nemo dubitat, efficiens, est quippe principium creans numerum; finis quoque est, quia conveniunt omnes unitates, ut unus sit numerus, & omnis numerus sicut inchoatus, ita & terminatus ab unitate. Forma est, quia ipsa addita variat speciem, & effectum speciei, par, impar. Novenarius igitur cum ab alio numero non claudatur, & alios ipse complectatur, mundi machinae similis est, quia omnes in se partes continet, ipsa ab unitate finitur; qui Deus *est: illius aeque principium ac finis. Dividamus ergo Novenarium in partes duas, quod non solum ante Julium Caesarem factum non est, sed ne fieri quidem posse clamat imparitatis ratio, at enimvero Mundus cum duas in partes dividatur, inferas, & supernas;*

in

in ipso quoque numero Novenario, quem mundi imaginem esse dicebamus, aliqua divisionis ratio excogitanda est: potest igitur sic. Ablegata ab hac partitione ipsa Unitate, qua refert illud unum vere τὸ πᾶν, verum principium a nullo comprehensum, vel inclusum, Novenarius, qui citra eam est, per suas multiplicationes cumulatus, in duo sectilis est; ita ut in bina vicena septena divisus, prioris aequalitatis finem habeat septenarium. Plura habet ejusdem commatis, quae longa nimis essent, si describerentur. Concludit hoc modo: *Novenarius alios complectitur, ab unitate tamen finitur, mundi igitur machinam repraesentat, qua omnes in se continet partes, ipsa nonnisi ab unitate continetur, qui est Deus, summum, & Unum Ens, illius principium & finis.* Qui haec potest capere, capiat!

§. 4. Librum claudit his verbis, sicque etiam summum illum rerum omnium Effectorem, Conservatorem, & Gubernatorem DEUM, in novissimo libri hujus margine, cum gratiarum actione putavimus exorandum.

Dei supremo percita flamine
Mentem voluntas extimulat meam:
Hinc pernegatum tentat alta
Dædalii iter ire ceris,
Audetque Cœli non memorabile
Metare numen, principio carens,
Et fine, definire Musa
Exigua breviori gyro.
Origo rerum, & terminus omnium,
Origo, fons, & principium sui,
Suique finis, terminusque.
Ubique totus, tempore in omnibus
Omni quiescere ipse Deus locis.
Partes in omnes distributus,
Inter usque manens ubique.
Nec comprehensum ullis regionibus,
Ullisve clausum limitibus loca
Tenet, sed omnis liber omne
Diditus in spatium vagatur.
Illius alta est velle potentia,
Opus, voluntas invariabilis,
Et magnus absque est quantate,
Atque bonus sine qualitate.
Quod dicit, uno tempore perficit,
Mirere, fiat vox vel opus prius:

Cum

Cum dixit, en cum voce cuncta
Universa simul creata.
Cuncta intuetur, perspicit omnia,
Atque in sua unus, solus est omnia,
Quæ sunt, fuerunt, & futura
Prævidet ipse perennitate,
Atque ipseplenus, cuncta replet, sui,
Et semper idem: sustinet omnia.
Et fert, movetque, amplectiturque,
Absque supercilio gubernat.
Te te, tandem respice me bonus,
Tibique nodo junge adamantino,
Id namque solum unumque & omne,
Reddere quod potis est beatos,
Quicunque junxit te sibi, & altius,
Uni adhærescis, continet omnia,
Teque omnibus circumfluentem
Divitiis, nihilque egentem.
Tu cum necesse est, nullibi deficis,
Ultroque præbes omnibus omnia.
Ipsumque te, qui sis futurus
Omnibus omnia, subministras.
Laboriosis tu vigor inclitus,
Tu portus alto navi fragantibus,
Tu fons perennis perstrepentes
Qui latices salientis ardent.

Tu summa nostris pectoribus quies,
Tranquillitasque & pax placidissima,
Tu mensus es rerum modusque,
Tu species & amata forma.
Tu meta, pondus, tu numerus, decor,
Tuque ordo, tu par atque honor, atque amor
Cunctis, salusque & vita & aucta
Nectare & ambrosia voluptas.
Tu verus altæ fons sapientiæ,
Tu certa spes, tuque æterna
Et ratio, de via, veritasque,
Decus, jubarque, & lumen amabile,
Et lumen almum atque inviolabile,
Tu, summa summarum, quid ultra?
Maximus, Optimus, Unus, idem.

Hæc carmina, quantumvis specietenus sint divina, attamen revera nihil aliud sunt, quam panegyricon in laudem Mundi, qui ab Atheis habetur animal sapientissimum, cui omnia attributa divina (horrendum dictu) applicare non erubescunt, ut eo tutius atque liberius, quo tectius, virus impietatis in Vulgus propagent. Lubet ex libro, qui inscribitur, *de Admirandis Naturæ Reginæ Deæ omnium Arcanis*, pauca quædam de-

describere; utpote satis raro hisce temporibus, & paucis viso. Est quidem systema Physicum per Quæstiones & responsiones, pro captu istorum temporum non inepte conscriptum, Stylus tersus est, & latinissimus, Philosophia ipsa Aristotelica, per formas, qualitates, humidum atque calidum concepta: Varia sumsit mutuo a *Cardano* de subtilitate; ab Aristotele histor. Animal. & Plinio histor. Natural. Subinde ingenti nisu disputat de Chimæris, quæ in natura rerum nunquam exstiterunt, de Basilisco puta, de Chamæleonte, de Salamandra, de quorum virtutibus subtilissime atq; ineptissime differit: ejus opinio de æternitate mundi subinde occurrit. Et affirmat cap. de Cœlo pag. 20. Si in Christianorum Scholis enutritus non esset, asseveraturum se, Cœlum esse animal, quod a propria forma, quæ anima est, movetur, & pro more, dicit esse æternum pag. 101. Cum de immortalitate animæ ex ordine disputare deberet, hoc modo Alexandrum suum discipulum dimittit. *Alex.* Quæso, mi Juli, tuam mihi de animæ immortalitate sententiam explices. *Jul. Cæsar.* Excusatum me habeas rogo. *Alex.* cur

cur ita? *Jul. Cæsar.* Vovi Deo meo, quæstionem hanc me non pertractaturum, antequam senex, dives, & Germanus evasero. Scripsit varia alia, quorum non est immemor, commentarios scilicet Medicos, commentarium ad librum Aristotelis de Metoris, Apologiam pro Religione Christiana, atque Mosaica, attamen in hoc libro affirmat, *omnes novas Religiones oriri ex influentiu alicujus potentis stellæ. Qualibet Religio in sui ortu & interitu, non in medio, miracula ostentat, cujus rei ratio illa est: Quia in longissimis temporis intervallis potentissima intercedunt planetarum conjunctiones, quo tempore novam Religionem institui, ac proinde cessare veterem, clarissimis experimentis Astronomi comprobant, & ego,* inquit, *validissima ratione: Ea est, quia ex magnis siderum conjunctionibus inferiora hæc summam cum nanciscantur potestatem, admiranda opera proferunt. Insuper hominum voluntates tuns immutantur: Phantasia, qua intellectus voluntatis consiliarius utitur, Cœlo subjicitur: Quare vir sapiens sacros æterni nominis honores appetens, cum hæc futura prævidet, Prophe-*

phetam a Deo miſſum ſe prædicat: Quæque neceſſario cœleſtium corporum vi Miracula fiunt, confictæ ſui ipſius omnipotentiæ adſcribit, atque ita deluſa plebecula illum admiratur & adorat: Sane ea Miracula vocitantar, quæ poſt longiſſimam cœlorum circuitionem accidunt, non quæ Naturæ vires exuperant: Deſierunt oracula, quia inceperunt: Nam juxta præcedentes ſuppoſitiones, quicquid incipit, deſinit, deſinere autem non poteſt, niſi diſpoſitiones contrariæ adveniant, Veluti non corrumpitur ſanguis menſtruus, niſi introducantur diſpoſitiones hominis formatrices, quæ prioribus adverſantur: Sic poſt oracula advenit lex illis oppoſita, apud poſteros Oraculorum lex etiam vigebit. Quo fieri comprobare pergit, ut eadem cœleſtium vis, quæ uno tempore religionem Ethnicam peperit, quæque alio mutata cœleſtium diſpoſitione legem Chriſtianam, alias novas religionis rationes certis annorum intervallis ranunculorum ad inſtar procreatura ſit, donec tandem antiqua iſta Ethnicorum ſuperſtitio, aſtris ad eandem poſituram redeuntibus, eadem neceſſitate qua periit redintegretur. Et ne miracula Domini noſtri

nostri Jesu Christi divina quavis potentia facta esse credamus, aut intelligentiarum aut imaginationis viribus mechanice contigisse, Conatur prolixis Disputationibus exponere. Atqui vero præter egregie impios hosce mechanismi conatus, suspiciones quasdam in fidei Christianæ opprobrium insinuavit non obscure, quum Beati Salvatoris Jesu Christi calliditatem suspectam habeat, quod Antichristum, qui idea hominum scelestissimus foret, venturum prædixerit, ut si quis postea decretis, quæ ipse docuerat, contraveniret, discipuli, anticipatione ista qua ipsos imbuerat, Antichristum crederent, atque propterea odio haberent. Quæ profecto male sani deliria, quam constantis Philosophi decreta videntur. Dicit tandem frigide, *in obsequium Christianæ Religionis, Ea omnia se detestari*, quod huic authori est familiare. Habere t hic liber Approbationem publicam æque ac Amphitheatrum. *Nos subsignati Doctores in Alma Facultate Parisiensi fidem facimus, vidisse & legisse nos Dialogos Julii Cæsaris Vanini Philosophi præstantissimi, in quibus nihil Religioni Catholicæ Apostolicæ, & Romanæ, repugnans aut*

aut contrarium reperimus, imo ut subtilissimos, dignissimos, qui typis demandentur, judicamus. Die 19. Maji 1616. F. Edmundus Conradin Guard. Convent. F. Min. Paris.

F. CLAVDIVS le PETIT
Doctor Regens.

Quem hic exitum sua in Vanino impietas habuit, cujus causam discipuli omnes, cum magistrum ad flammas raptum viderunt, deseruere, nisi quod Theophilus, magistro dignus discipulo, iu exilium missus fuerit; qui ut ab eodem authore traditur, cum eruditione levi, prompta in dicacitatem facundia, fertili maledictis ingenio fuerit, scripta sua omnia impietate & venere deturpavit, qua de causa eodem anno in carcerem conjicitur, placitoque Lutetiani Parlamenti finibus Galliæ exactus, morbo non multo post extinguitur. *vid. Parker. de Vanino.*

In hoc libro typhus hominis & vana ostentatio altera quoque pagina percipitur, & inprimis in ipsa dedicatoria Epistola quam Illustrissimo Bassampetreo inscripsit & quam a putidissima sui ipsius admiratione exorsus. Atq; in ipsis Dialogis quamquam Lucilii nomen a

Sacro

Sacro fonte acceperat, sibi tamen Julii Cæsaris imposuit, neque cum quovis nisi ipso Alexandro dialogice sermonem habere dignatus est, quam tamen tam immensis laudibus se cumulare fecit, ut si in in ipsa Julii Cæsaris sella aurea sedisset, ampliores ab adulatoribus suis tribuendas esse non expectaret, ut apparet ex adulationis apparatu quo ad disputandum eum pellexerit Alexander: plus es apud Sapientum judicia consecutus laudis, quam ut ne tantillum quidem bonæ famæ per Aristarchorum detractionem, & semidoctorum censorum malevolam invidentiam amittere tibi sit periculum. Nunquam tamen suavius se titilasse visus est, quam Dialogo 55. ubi ut Thomas Morus inquit; qui cum Erasmum ignoto habitu acutissime differentem excepisset, vel Dæmon es vel Erasmus, ita de tua sapientia eloquar vel Deus es vel Vaninus. Neque stylo minus magnifico in exequendis Vanini exequiis author Apologiæ Jul. Cæs. Vanini Cosmopoli nuper impressa, usus est. cum ullo alio enim mortalium suum Vaninum ad rogum tractatum nisi cum Julio Cæsare in Senatu mactatum comparaverit. Adeste

quæ-

quæso, inquit, ac iterum iterumque fumantem rogum aspicite. Julium Cæsarem occisum, misere a suis deformatum, rogo impositum Philosophum, Romani Cæsaris in literis æmulum vidistis. Quod si vobis veteris Romæ imago recurrit, jam homicidæ ovantes collegium petunt; Cicero quidam sui temporis patriæ patres appellitat, & si quis Cæsarem defendere conetur, tollendum existimat. Idem in ipso Dedicationis ingressu magnum animi candorem Lectoribus suis pollicetur sanctissime, *Plurimis*, inquit, *qui ad scribendam animam advertunt, multa solent esse scribendi causæ; Mihi fere nulla, nisi veritas & ingenuus candor.* Utinam nobiscum communicasset nomen suum, & quare ambo reformidat lucem vir probe candidus & apprime eruditus? sed de Scriptorum scopo in tacendis suis nominibus nihil attinet hic inquirere, ex insigni modestia viri hoc forsan factum esse. Si placuerit, credamus. Nos paucissimis hujus defensionis fundamenta recenseamus, primum, invidiæ Sacerdotum omnia Vanini infortunia audacter authoritate sua tribuere non dubitat, cum Vaninus ipse es-

O set

set sacerdos fervidus qui contra Lu.herum, Calvinum aliosque reformatores, ut magno ausu susciperet defensionem Concilii Tridentini, imo ut Apologistæ utar verbis, Tandem in Anglia novus de propaganda fide emergit miles, Officium laboris periculorumque plenissimum quod ipse non solum non detrectavit, sed& Londini captus, & per XLIX. dies in Latomiis tanquam in palestra quadam exercitatus, pro Ecclesiæ autoritate defendenda effundendi sanguinis desiderio seaccensum & inflammatum esse dixit, quæ profecto animi alacritas gratiam Ecclesiasticorum Vanino conciliare potius debuit quam invidiam; potissimum cum bella adhuc horrida gererentur adversus reformatos per omnes sparsas Galliæ provincias. Novimus gentem Ecclesiasticam esse animi acerbitate & invidia potentissimam, sed præcipue erga laicos, nobiles atque principes, qui illos ad vitæ modestiam atque parsimoniam primitivam, a luxu in quo diffluunt hujus temporis sacerdotes, revocare satagunt; sed plerumque similis simili gaudet, & sacerdos sacerdoti, sed est modus in rebus & diligenter ab exaggeratione immo-

modica est cavendum, ne videamur ex sacerdotum malitia & invidia, nobis parmam & scutum fabricasse, ad destruendam omnem veritatem historicam, qua procedendi methodo nescio an quid tristius vel infelicius excogitari possit. Item Grammundum ubique vilipendit, malæ fidei postulat nullam aliam ob causam, nisi quod multa scripta reliquit, memoriæ & manibus Vanini parum honorifica, quæ profecto methodus si valuerit, conclamatum est de omni rerum præteritarum notitia; licebit enim rerum anteactarum nova schemata fingere, novasque circumstantias ponere, & cum mediocri ingenio, demonstrare sobrietatem Eliogabili, & Neronis benignitatem esse maximam nullo negotio possumus, nemo denique Brunoni Italo convitium est facturus (quem memorat Casparus Dornavius) qui publicitus Wittebergæ Diabolum laudavisse & defendisse dicitur. Sed Tolosæ, inquit, supplicio affectus, qua urbe nulla in puniendis hæreticis severior, cum nunquam in gremio suo ferre potuit unum Hugonotum, cum in aliis urbibus Galliæ ubique scaterent, quid mirum itaque, intempestivo zelo per-

citos Tholosanos ad rogum damnasse Philosophum. Sed perlege historiam belli Civilis in Gallia, & invenies Tholosæ fuisse tam ingentem Reformatorum numerum, ut non dubitarent cum Pontificiis in media urbe arma conferre, cum horrenda utriusque partis strage, sed Reformatis post ancipitem atque dubiam pugnam succumbentibus, a Pontificiis fuerunt expulsi, neque denuo unquam admitti poterunt; indignabunda enim urbs tantæ suorum civium cladis in perpetuum bene memor; ideoque sine causa celeberrima urbs iniqui judicii postulabitur. Denique Vir Eruditissimus ad calcem sui operis, audet affirmare, Vaninum immortalitatem animæ negasse *nullo in loco*, sed valde vellem illum candide explicuisse quid sentiat de Vanini verbis p. 492. Edit. Paris. apud Adrianum Perier. M D C X V I. ubi secundum discursus sui ordinem debebat, qua Physicus doctrinam de immortalitate animæ exponere plenius & de industria, insulso satis scommate, quod ante monuimus, hoc caput detrectat, & discipulum hoc modo expedit: *Alex.* Quæso, mi Juli, tuam mihi de animæ immortalitate sententiam

ex-

explices. *Jul. Caf.* Excufatum me habeas rogo. *Alex.* cur ita? *Jul. Caf.* Vovi Deo meo, quæftionem hanc me non pertractaturum, antequam fenex, dives, & germanus evafero - - - porro in pagina penultima pergit Alexander, laborum tuorum præmium jam confecutus es, æternitati nomen jam confecrafti. Quid jucundius in extremo tuæ ætatis curriculo accipere potes, quam hoc canticum, *& fupereft fine te nomen in orbe tuum.* Jul. Cæf. fi animus meus una cum corpore, ut Athei fingunt, evanefcit, quas ille ex fama poft obitum delitias nancifci poterit? forfitan gloriolæ voculis, & fidiculis ad cadaveris domicilium pertrahetur? fi animus, ut credamus libenter, interitui eft obnoxius, & ad fuperos evolabit, tot ibi perfruatur cupediis & voluptatibus, ut illuftres ac fplendidas mundi pompas & laudationes nec pili faciat. Si ad purgatorias flammas defcendet, gratior ei erit illius orationis, *dies iræ, dies illa,* mulierculis gratiffimæ, recitatio, quam omnes Tulliani flofculi, dicendique lepores, quam fubtiliffimæ & pene divinæ Ariftotelis ratiocinationes. Si Tartareo (quod Deus avertat)

tat) perpetuo carceri emancipatur, nullum ibi solatium, nullam redemptionem inveniet. *Alex.* O utinam in Adolescentiæ limine has rationes excepissem, præterita mala ne cogites, futura ne cures, præsentia fugias. *Al.* Ah! J. Cæs. liberaliter suspiras (tum quemadmodum superius p. 493. omnes famæ ramunculos cum uno Amasiæ basiolo commutandos plerique philosophi suadent, ita nunc se expedit) illius versiculi recordor:

Perduto é tutto il tempo che in amor
non si spende.

Jam cedo qnemvis arbitrum si hæc verba sunt Athei, vel Philosophi Christiani, qui firmiter credit animarum immortalitatem. imo ille Vaninus satis percipit nullum esse Virum tam obesæ naris, qui non satis videat quo tendant hæc verba, quapropter pro hominis astutia ordinaria, singula verba divino Romanæ Ecclesiæ oraculo subjecta esse cupit. In hoc libro observavimus, authorem in omni fere magna urbe per totam Europam acerrimas disputationes cum aliquibus Atheis, non secus ac si illis litteras habuisset commendatias, quapropter fas est suspi-

ſuſpicari, utrum Julius Cæſar Philoſophus & Theologus præſtantiſſimus erat nec ne, ille Atheus, qui Genevæ, Amſtelodami aliisque in locis, impiis ſermonibus contra Dei exiſtentiam miſcere ſolebat cum Vanino? alioquin plane oportebat aut Vaninum de induſtria quæſiviſſe Atheos, aut Atheos quæſiviſſe colloquia Vanini, Multa alia ex hoc libro allegare poſſem, ſed fortaſſis hæc plus ſatis: addam, quod p. 428. affirmat de ſuo libro, cui titulus *Amphitheatrum*, & multa in eo libro, inquit, ſcripta ſunt, quibus a me nulla præſtatur fides. Coſi va il mondo Alex. Non miror, nam ego crebris vernaculis hoc uſurpo ſermonibus. Queſto mondo è una gabbia de malti, quid hæc verba volunt non novi, niſi quod iſte liber tam illuſtri titulo inſignitum, nihil aliud eſſe niſi verba dare hominibus credulis, & palpum objicere incautis: Candidus Lector ipſe quam optime conjiciet.

CAPUT IX.

§. I.

CLaruit in Gallia multo ante, tempore ſcilicet *Caroli IX.* & *Henrici III. Johan-*

nes Bodinus, qui a nonnullis impietatis postulatur, propter librum ab eo scriptum, cui titulus *Heptaplomeres de abditis rerum sublimium arcanis;* Non a numero librorum, ut *Claudius Sarravius* in Epist. p. 325. conjectat, sed septem personarum colloquentium, quos libris illis induxit, ita dictus. In illo autem Paulo Coronæo partes dedit agendas religionis Pontificiæ, Frederico Podamico Lutheranorum, Antonio Curtio Reformatorum, Hieronymo Seuamo Indifferentium, Diego Toralbæ Naturalistarum, Solomoni Barcassiæ Judæorum, & Octavio tandem Fagnolæ Mahommedanorum. Ea vero ratione inter se colloquentes committuntur, ut præcipue Judæi, inde Indifferentes, tandem Naturalistæ palmam obtineant; reliqui vero instructi levibus argumentis, responsionibus suis titubent & hallucinentur, & præter Naturalistas, causa sua cecidisse quisque videatur. Sic hactenus Clar. *Hartnaccius* in Continuatione Histor. Eccles. *Micrelii*, sed *Baelius* in Dictionario dicit, Judæum ubique victorem; & sunt, qui scriptum reliquerunt, *Bodinum* in sententia Judæorum e vivis deces-

cessisse; alii, eum fuisse Magum, memoriæ tradiderunt: sed omnia incerta, hoc tamen, opinione omnium, certissimum est, fuisse sui temporis Jurisconsultorum facile peritissimum.

§. 2. Bodino *Eduvardum Herbertum* adjungo, Comitem de Cherbury, & parem Angliæ quem & *Kortholtus*, in libello de tribus Impostoribus, omnium trium primum facit, atque ejus opiniones de industria explicat & refellit, quarum summariæ atque præcipuæ hæ sunt, quæ & *Bodino* communes, (1) esse supremum aliquod Numen, (2) coli debere, (3) virtutem pietatemque esse præcipuas partes cultus divini. (4) Vitia & scelera quæcunque expiari debere pœnitentia, (5) dari præmium & pœnam post hanc vitam. Ex quibus abunde constat illum non fuisse Atheum: sed an fuerit orthodoxus Christianus altioris est indaginis: vide laudatos Authores, qui ejus opiniones fuse explicant.

§. 3. Properat nostra oratio ad virum longe celebratissimum *Thomam Hobbesium*, An. 1588. d. 5. April. Malesburiæ, agri Wiltoniensis oppido natum, præmaturo quidem

Baro de Harvvich poſtea Devoniæ Comes, Juvenem doctum & moribus gravem, filio ſuo natu maximo, annis propemodum æqualem, eique eo gratiorem futurum, ſibi dare præoptavit, qui ſtudiis ſcilicet & moribus ejus præficeretur; atque Præſes tunc Aulæ Mariæ Magdalenæ, *Johannes Wilkenſon*, præ cæteris ei hanc in rem laudavit Hobbium. Hic quoque illuſtris Juvenis latus ejus aſſidue texit, artibus hoc genere dignis eum imbuit, in venatione omnibusque ejus generis exercitiis fuit Comes diſcipulo individuus, ut patris atque filii ſingularem ſibi concillaret favorem, atque dignus haberetur, quem in Gallia & Italia peregrinantem ſequeretur. Illo in itinere, cum plurimis paſſimm Viris doctis colloquia inſtituit, exque iis adeo profecit, ut ſordere illi jam inciperet umbratilis ſapientia Academica; poſtea reverſus, gratia Candiſſianæ Gentis facile obtinuit, ut in amicitiam *Franciſci Baconis de Verulamio*, Baronis & Vice-Comitis Sancti Albani, Magni Angliæ Canceliarii reciperetur; Hic enim *Hobbii* vel maxime opera, in ſcriptis ſuis ex Anglicano Idiomate in Latinam transferendis

uſus,

gliam rediret, cum Celeberrimis his tamen Philosophis literarum commercia continuavit, donec inngrueret bellum civile in Anglia; *Hobbius* eapropter quantocyus in Galliam ad eos, ut diximus, Viros Celebres contendit, ubi honestissimo otio literario usus est, (dum horrida bella affligerent suam patriam,) atque ibidem conscripsit librum *de Cive*. Obiit An. 1679. ætate gravissimus. Anno sequenti Hobbesianismi Anatomen *Gisbertus Coquius*, Verbi Divini in Cokkengen Minister, *Ricardus* autem *Cumberlandus* in disquisitione de legibus Naturæ, Philosophiæ Hobbesianæ Elementa accuratissime expendisse videtur. Si forte plura quis de ejus fatis percupiat scire, consulat eos, qui vitam Hobbesii soluta oratione & ligata conscripserunt.

§. 4. Quantum attinet ejus scripta, non sunt unius argumenti, neque idiomatis, præcipua tamen sunt problemata physica, quibus annexæ propositiones de magnitudine circuli, & duplicatione cubi; Examinatio & Emendatio Mathematicæ hodiernæ liber, *Johanni Wallisio*, Professori Oxoniensi oppositus, Elementa Philosophiæ, opus tribus

Se-

Sectionibus distinctum: quarum prima, de Corpore inscripta, naturam Philosophiæ in genere, neque Logicas, Physicas, Metaphysicas, & Mathematicas, peculiari, nec alias, usitata ratione & methodo proponit; secunda speciatim de Homine agit; tertia de Cive; porro Dialogus de natura Aeris; liber de principiis & ratiocinatione Geometrarum, contra fastum Professorum Geometriæ; denique Leviathan, sive de materia, forma, & potestate Civitatis Ecclesiasticæ & Civilis. Ad ingenium hujus, quod attinet, Judice *Kortholto*, Herbertiano perquam id in multis est simile, nam ut ille novis suis inventis, quæ jactat; magnopere se effert, aliosque eruditos superbe præ se contemnit, ita non minus ille, scribens videlicet *Hobbes* ad *Samuelem Sorberium*, eique suum de Artis natura dialogum inscribens, *Conveniant*, ait, *de societate Philosophorum, singulis septimanis in Collegio Greshamensi, ad promovendam scientiam naturalem convenientium, studio conferant, experimenta faciunt, quantum volunt, nisi & principiis utantur meis, nihil proficiunt. Ignorato enim motu, ignorari naturam, recte censuit Aristo-*

riſtoteles. Si ad ſcientias ſufficeret ingenium, nulla nobis ſcientia jamdudum defuiſſet. Nova enim hæc Academia ingeniis abundat excellentiſſimis; Sed aliud eſt ingenium, aliud ars, quanquam, ut ſolemus, in propria cauſa ſuſpecti aut cœci etiam eſſe Judices, Viri docti alii longe diverſum de nova hujus Viri Philoſophia pariter & Theologia ſentiant, ipſius nominatim gentiles, ſeu ſympatriotæ, *Sethus Wardus* & *Johannes Templerus.* Cui poſtremo, de proſtrato in Idea Theologiæ Leviathanis Hobbianiſmo, hoc cecinit Carmen non inelegans *Car. Bobotham* Norfolcienſis:

Quis hic Coloſſus, qui tremendis faucibus
Immane hians, porrectus imenſum jacet,
Vomituque turpi, fœda ructans dogmata,
Utrumque & hinc & inde littus polluit?
Malmsburienſis Hydra, Pelago luſitans
Grandis Leviathan, & Gigantæus Draco,
Informe Monſtrum, Belluaque Britannica,
Uſque adeo, ad inſtar Africæ, hic & angulus
Subinde nobis aliquid apportat novi.
Sed, gratia ſuperis! pari paſſu ambulat

Nova

Noxa & medela: At en cito loquuntur
Lite:
Accidit Hydra Hercules suus: Eadem Insula
Quæ dederat ortum Monstro, & interitum dedit,
Subigitque protinus, ipsa quæ peperit malum.
Sic jam co-insularis itidem Hobbesii
Pythona, jaculis mille confossum dedit
Templeriana dextra, Pythii æmula.
En, quam labascit ictus, horrendum gemens,
Tenuisque Vastum cor Myurus occupat!
Lethale pharetra virus en! ut intimas
Sorbet medullas corruentis belluæ!
En, quam deartuata penitus, & ultimam
Halant Mephitim purulento e gutture,
Spisso cruore lata tingit æquora!
Tanti triumphi gloriosa laurea
Tua (plurimum colende!) prensat tempora.
En, quam litatis passibus, quanto agmine,
Adorearum cumulo ovantem præsequi
Festinat ingens gratulantium Chorus.
Ara, focique, humana, divina omnia,

Ve-

Verenda Trinitas, Deus, Anima & Angeli,
Natura, Gratia, Civitas. Ecclesia
Ecclesiaque peculium (Regimen, Fides,
Ordo, Potestas Clavium, Leges, Canon,
Concilia, Synodi, Martyres, Miracula,
Reditus, Schola, Lycea, Phrontisteria,
Sedes superna) & quicquid uspiam est
sacri
Vel Christiani nominis, Te σύμμαχω
Verique πρόμαχον, Te salutant vindicem,
At tu, nefandum propulator dogmatum,
Insanientis editor sapientiæ;
Fatalitatis impiæ Præco & Pugil,
Insipide materiati Adorator Dei,
Monocondyli Fabricator, inclyte, Symboli,
Fidei Novator improbe, veterum hæresûm
Interpolatum Mango Nugivendule,
Sartor sartorque falsitatum strenue!
Descende cathedra, spongiæ deletili
Incumbito blasphemiarum desinens.
O te beatum, falsa si tandem scias
Mutare veris! Bis at o miserum, si ne-
ges!

§. 5. Ad superiora, ut revertamur, sicut amore novarum opinionum Herberto *Hobbius* non cedit, ita neque Zelo evertendi

Ante omnia itaque notetur heic locus ex *Leviathane cap. 33.* ubi de Scripturæ sacræ auctoritate disputans *Hobbius*, *Quatenus*, ait, *non differunt Scripturæ a legibus Naturæ, dubium non est, quin sint leges Dei, auctoritatemque habeant omnibus, qui ratione naturali præditi sunt manifestam. Sed auctoritas hæc alia non est, quam quæ doctrinæ omni morali, si vera sit, attribuenda est. Si leges a DEO ipso factæ sunt, nempe leges divinæ positivæ, nulla accedente authoritate humana, illis solis leges sunt, quibus DEus ipsas ita promulgavit, ut nulla illis per ignorantiam relinquatur excusatio. Illi igitur, quibus Deus non revelavit supernaturaliter, quod scripturæ ab illo sint, vel eos, qui illas prædicant, ab eo missos esse, nulla, ut eas recipiant, authoritate obligantur, præterquam ejus, qui summam habet in Civitate potestatem. Is enim legislator solus est. Rursus, si authoritas civitatis non sit, quæ scripturas facit esse leges, authoritate aliqua alia, vel privata, vel publica id fiet. Si privata, is solus ad obedientiam tenetur, cui Deus illas supernaturaliter pro legibus dictavit.*

 Nam

Nam si unusquisque pro Legibus Divinis obligaretur, quicquid aliquis prætextu inspirationis, vel Revelationis obtruderet (in tanto hominum numero per arrogantiam, vel ignorantiam, somnia, phantasmata, insaniamque, pro spiritus divini testimoniis accipientium, vel per ambitionem falso jactitantium) impossibile esset, ut leges ullæ pro divinis agnoscerentur. Sin Scripturæ Leges fieri non possunt sine authoritate publica, authoritas illa Civitatis erit vel Ecclesiæ: Atque ita porro quod Ecclesiæ esse nequeat, ostendere satagit, ut obtineatur, esse Civitatis, sive ejus, penes quem summa in Civitate potestas est. Multa alia nefanda contumeliose de Scriptura sacra effudit, ut in libro *de Cive*, cap. XVII, 27. *quod Scripturæ sacræ interpretatio, hoc est, potestas controversias omnes determinandi, dependeat & derivetur ab authoritate illius hominis, vel cœtus, penes quem est summum imperium Civitatis.* Sed ab instituto nostro alienum est, plura describere. Sunt qui suspicantur: *Hobbium* multa hujus commatis evulgasse in gratiam Regum

An-

Angliæ, qui tunc temporis ambiebant imperium ſingulare.

§. 6. Sed pergendum eſt, videbimus autem, non horrere novum hunc Theologum, conceptis verbis ſeditioſæ doctrinæ Chriſtianiſmum poſtulare, quod monſtrat locus in libro *de Cive*, cap. VII. vulgo docetur, Fidem & Sanctitatem non ſtudio & ratione naturali acquiri, ſed ſemper ſupernaturaliter hominibus infundi vel inſpirari. Sed Hobbeſius huic Evangelii dogmatibus valde infenſus, pro ſumma ſua erga Rempubl. benevolentia atque ſtudio, exclamat *Fidem & Sanctitatem non ſtudio & ratione acquiri, ſed ſemper ſupernaturaliter infundi;* SEDITIOSA OPINIO. Vidimus hucusque, quod *Hobbius* poteſtatem de Religionis negotio ſtatuendi abſolutam, & cui ullo modo refragari grande nefas ſit, Civili tribuat imperio, atque hoc dogma primum ac præcipuum Univerſæ Theologiæ fundamentum faciat: Jam ſi ſerio, & ex animi ſententia ſic ſtatuit, oportebit utique ipſummet, quod ſpectat ad res fidei, ſcitis, placitisque ſummi Magiſtratus Britannici acquieſcere, iisque intellectum ſuum ſubmittere, id quod a ſe fieri, non ſemel profitetur, nempe in Epi-

stola ad Franciscum Godolphinum, qua suum ei Leviathan inscribit, *Ne quid*, ait, *contra doctrinam Ecclesiæ nostræ publicam scriberem (dissentire enim in singularibus licitum est) diligenter cavi.* Et alibi: *Nullos*, inquit, *ego libros pro Scriptura Sacra agnoscere debeo, præter eos, quos sancivit Ecclesia Anglicana.* Ubi Ecclesiæ nomine summam potestatem Civilem illum innuere, e contextu manifestum. Dixerat enim paulo ante: *Cum ostensum sit supra, illos, qui summam habent in Civitate sua potestatem, solos legislatores esse; Sequitur libros illos solos Canonicos, id est, leges esse, in unaquaque Civitate, qua summa imperantis authoritate lata sunt.* Cæterum Hobbesianam isthanc protestationem facto prorsus esse contrariam, nemo non videt. Quid enim? an qui summam habent in Britannia potestatem, auctoritate sua sanxerunt dogmata, quæ ex Hobbesii scriptis nos hucusque retulimus? quod Hobbesius propugnat in Appendice ad Leviathan, nec non quod ille alibi, Deum in persona propria creasse Mundum, in persona filii redemisse genus humanum, in per-

sona

sona Spiritus sancti sanctificasse Ecclesiam. Porro an sanxerunt, negandam atque impugnandam satisfactionem Christi atque immortalitatem animæ? quæ omnia apud *Cl. Kortholtum* reperies probata.

§. 7. Alios ejus errores quam brevissime potero, hic adjungam, uti apud Clar. *Hartnaccium* ex *Hobbesii* scriptis excerptos invenio. (I.) Scriptura Sacra dicitur Verbum Dei, non tam ratione principii, a quo est prolatum; quam objecti, de quo agit; imo nec nominis inspirantis, sed hominis tantum scribentis. (II.) fides ergo nostra, quam habemus Scripturæ S., non nititur authoritate Dei; sed existimatione de persona, quæ eam revelationem literis complexa est. (III.) Prophetas autem DEVS miraculis editis commendavit populo, ut fide dignos. (IV.) Semina Religionis naturalis sunt metus Spirituum, Eventus fortuiti & quæ ex hominum phantasia Judiciis, passionibus, aut Consiliis diversorum diversis nascuntur. (V.) Religio omnis resolvitur in fidem, quæ illius personæ habetur, qui isthoc ad nos defert. (VI.) Atheismus ergo, peccatum utut gravissimum, tamen impru-

dentiæ tantum est; etsi enim nonnulli ratione naturali existentiam summi Numinis investigare possent: hoc tamen non est omnium, imprimis qui seculo ejusque bonis adhærent. (VII.) Quemadmodum Deus sub conditione benedictionis obligabat sibi ad Cultum Abrahamum: Ita hic quoque sibi posteros ad eundem sibi cultum obstringendi jus, vi superioritatis suæ habuit. (VIII.) Authoritas itaque supremi magistratus constituit in populo, ut S. Scriptura sit regula fidei, eamque persuadent porro auditoribus suis Verbi divini Ministri. (IX.) Libros V.T. ab iis authoribus esse scriptos, quorum nomina præ se ferunt, perquam dubium est. Vix origo eorum altius, quam ad Esdram deduci potest, qui auxilio Spiritus S. eos restituisse dicitur. N. T. demum libri publica authoritate, quarto Seculo, a Concilio Laodicensi recepti sunt. (X.) Summa interpretandi potestas penes eum est, qui habet summum Imperium; in rebus fidei penes Ecclesiam, quatenus a Christo illud donum habet per impositionem manuum. (XI.) Unicus fidei articulus est, ad quem reliqua credenda referuntur omnia, nimi-

nimirum, quod JEſus ſit Chriſtus. (XII.) Quoniam quicquid vere eſt, Corpus eſt, neque magnum aliquid fingi poteſt, niſi corporeum, Deus utique maximum omnium corpus eſt: hoc paſſim ſuſtinet ſerio, & defendit, authoritate Tertulliani, aitque, a Concilio Nicæno non definitum, Deum eſſe incorporeum. Vid. *Leviathan.* cap. 46. p. 528. *Deinde*, inquit, *nata eſt opinio de ſubſtantiis incorporeis*, id eſt, *nullam habentibus magnitudinem*, *& quod Deus ipſe Optimus Maximus magnitudinem non habeat*, *quanquam neque* Subſtantia Incorporea, *neque* Subſtantia Immaterialis *in Scriptura ſacra inveniatur.* (XIII.) Non poſſumus Dei ideam, aut conceptum in mente aliquem habere, quoniam infinitus eſt. (XIV.) Voces Hypoſtaſis, Perſona, Generatio, proceſſio incommode in divinitate adhibentur, præſtat mittere argutias illas, & Scripturæ verbis loqui. (XV.) Angeli non ſunt ſubſtantiæ Spirituales, ſed Apparitiones tantum, aut motus a Deo hominum mentibus immiſſi, ad voluntatem ſuam iisdem ſignificandam: mali vero, vel prava hominum Conſilia, vel improbæ mentis ter-

riculamenta. vid. *Leviathan.* cap. 34. p. 186. Angelus vox Græca, apud ſcriptores tam ſacros, quam profanos ſignificat Nuncium; in ſcripturis autem ſacris pleruınque *Nuncium a Deo:* Nuncium autem a DEO eſt omne id, per quod Deus ſuparnaturaliter præſentiam, ſive potentiam ſuam extraordinariam manifeſtam facit, præcipue vero in ſomniis atque viſionibus. De Creatione Angelorum in Scripturis ſacris nihil diverſis verbis traditur. Scriptores igitur Eccleſiaſtici de natura Angelorum diſſentiunt. Veterum autem Patrum nonnulli corporeos eos putaverunt, alii nonnulli incorporeos. Vocantur paſſim in Scriptura Sacra Spiritus, ſed Spiritus tum a Scriptoribus Judæis, tum Græcis, modo corpora ſubtilia, ut aer, ventus, ſpiritusque animalium, modo phantaſmata exiſtimantur, quæ nec realia ſunt, nec diutius permanent, quam ſomnium & viſio, in qua apparent. Quæ phantaſmata, ſive apparitiones, etſi ſubſtantiæ non ſint, ſed accidentia organorum ſentiendi, quando tamen a Deo ad voluntatem ſuam ſignificandam, ſupernaturalitet producuntur, non improprie Nuncii a Deo,

id

id est, Angeli appellantur. (XVI.) Intellectus homini aommunis cum brutis, quia ab his pendentia sæpe vincitur, Sermonis tantum & ordinis beneficio has Facultates ulterius promovet. Neque enim illa ratio nobiscum nascitur, uti sensus; Sed ejusmodi Facultas quædam, quæ prout exercetur magis atque magis, rectius porro præstantiusque vires suas exerit; adeo ut vix quædam in his hominis a Bruto secundum essentiam sit differentia. (XVII.) Anima rationalis non legitur in Scriptura Sacra condita a Deo natura sua immortalis, aut substantia incorporea, sed resuscitabitur solum homo ante diem Judicii, per Redemptionis Christi gratiam, (XVIII.) Origo juris Dei in Creaturas, summa illius potestas est, cui non potest resisti. Postea intercessit pactum cum hominibus, apud quos pro temporum ratione diversa diversimode illud administravit. Succedit autem Patri post Judicium extremum in regno illo Christus, qui id sibi redemptione generis humani Jus peperit. (XIX.) Venit autem Christus in mundum, ut Patri regnum, quod in electione Sauli a populo rejectum fuerat, re-

sti-

ſtitueret, & ſibi per pactum in Baptiſmo regnum aliquando pararet, & quamvis mors ejus pro omnium peccatis non ſatisfaceret, id tamen præſtaret, quod Deus ſumme miſericors in pretium redemtionis lege poſtulaverit. (XX.) Quemadmodum Supremus Magiſtratus non injuſte agit, quando innoxio vitam eripit; ita ſubditi quoque evitandi ſupplicii cauſa, contra Magiſtratum poſſunt inſurgere. vid. *Leviathan.* c. 21. p. 106. contingere ergo poteſt, & contingit ſæpe in civitatibus, juſſu ſummam habentis poteſtatem, innocentem etiam ſine injuria interfici; ut quando filiam ſuam occidi juſſit Jephta; etiam in occiſione Uriæ, etſi Rex David inique fecit, & contra Deum graviter peccavit, contra Uriam tamen non peccavit, qui facti illius authorem ſe fecerat: *TIBI SOLI PECCAVI;* ſunt verba ipſius Davidis ad Deum, a Deo enim ſolo obligari potuit Rex; hic excitat Reges contra ſubditos & eos erigit in tyrannos, ſed p. 106. incitat ſubditos contra Reges, & claſſicum canit ad rebellionem; Et certo ut eo ſemper tendat Atheorum doctrina, neceſſe eſt, quum nullam aliam agno-

gnoscant potestatem, neque tribunal post hanc vitam: & quod ad hanc vitam attinet, Principi obediendum, quia is timendus est. (XXI.) Non potest firmiter probari, cruciatus impiorum æternos fore. *Leviath.* c. 44. p. 295. *Per hanc*, inquit, *fenestram (scilicet immortalitatem animæ,) doctrina illa tenebricosa intravit, de CRUCIATIBUS ÆTERNIS & de POENIS PURGATORII.* Deum denique esse diserte negat his verbis: Quod autem res eadem & *spiritus* sit & *corporea*, intelligi non potest, spiritus enim loco & figura, id est terminis & magnitudine sua aliqua determinatur; & proinde corpus est, utcunque tenue & insensile, illi igitur, qui meditatione propria in cognitionem venerunt unius infiniti, omnipotentis & æterni Dei, maluerunt illum supra intellectum nostrum incomprehensibilem esse confiteri, quam Naturam ejus per *spiritum incorporeum* (præter Scripturæ authoritetem) definire & deinde confiteri definitionem illam non esse intelligibilem: sed Deum esse Spiritum iucorporeum dixerunt fortasse non dogmatice, ut naturam divinam per ea verba comprehenderetur, sed

ex

ex intentione pia Deum attributo aliquo honorandi, quod corporum visibilium crassitudinem a Deo removerent, quæ verba docent *Hobbesii* Deum esse materiam subtilissimam, quæ certe natura sua condensationem non respuit, quemadmodum contra, materia quæque crassissima natura sua possit ita rarefieri, ut tandem deveniat Hobbesio omnipotens & æternus Deus. Sed quantumvis crasse & impie de Deo scripserit hic materiæ venerator, plures tamen habuit defensores valde benevolos atque ingeniosos qui multis salibus magnum Hobbesii Leviathan inspergunt diligenter, ut omnibus lectoribus cibus fiat delicatissimus, sed frustra certe & incassum, persuadebunt illis qui gustu non depravato noscunt inter mentem cogitendi facultate præditam & materiam inertissimam distinguere; neque quicquam adjuvare potest comparatio nuper posita inter Hobbesium & Tertullianum qui & etiam Deum corpus appellasse, legitur, cum non ex voce aliqua inconsiderate forsan posita, sed ex scopo authoris ex toto contextu & ex argumentorum indole judicandum est. Omnis Hobbesii

besii ratiocinatio eo tendit ut omnem substantiam immaterialem, Deum, Angelos, mentem humanam prorsus destruat, ut interea materiæ, τῷ Pan Deo suo omnia studia sua, cogitationes atque cultum tribuat. Novimus quoque maximam esse differentiam inter Tertulliani tempora & Hobbesii asse ponendam, cum non ita accurate vel caute in vocibus adhibendis esse solebant istius seculi scriptores.

CAPVT X.

§. 1.

JAM tandem ad Atheorum Principem devenimus *Benedictum Spinosam*, virum initio Judæum, sed postea ob portentosas suas opiniones excommunicatum, atque sic tandem, nescio, quibus artibus & fraudibus, inter Christianos nomen professum, & ab illo tempore a Judæis vulgo *Arur Spinosam* dictum, (id est,) *maledictum*. A juventute dedit operam literis cum Rabbinis, & Linguæ Latinæ atque *Philosophia Cartesiana*, sub auspiciis *Francisci van Ende*, ho-

hominis Athei [r], cui Atheismum Spinosæ acceptum referunt Judæi. Et postquam frustra tentassent ei persuadere, ut opinionibus suis impiis renunciaret, extruserunt eum ex societate Judaica, ut inter Christianos venenum suum vomeret. Et quidam ejus gentis illum comœdia egredientem, insidiose adortus cultro leviter vulneravit, eoque suspicionem injecit, mortem sibi fuisse structam. Exin totus eos deseruit, & Christianorum se cœtui adjungens, Baptismo tinctus est, & velut linguam Hebræorum cum gente exosus, Baruchi nomen cum nomine Benedicti commutavit. Discessionem suam *Apologia* Hispanice scripta defendit; Hæc non impressa fuit: constat tamen, multa ibi contenta fuisse, quæ jam inserta leguntur, detestando & pernicioso tractatui Theologico, qui Amstelodami, non, ut mentitur Titulus, Hamburgi, Anno 1670. editus, ac postea in Gallicum sermonem translatus fuit.

Spinosæ Philosophiam exolenti, cum nec Præceptores nec ullus Scriptor, ullave doctrina pro voto satisfacerent, ille summa sciendi cupiditate flagrans, sed rationis suæ

am-

ambitiosæ male argutæ viribus magis, quam divino auxilio, fretus, quid ingenio suo valeret, experiri decrevit; Cartesiique Scripta Philosophica præ cæteris in consilium adhibuit. Postquam igitur se ab omnibus occupationibus expedivit; urbem Amstelodamum, ubi natus & educatus fuit, quo minus ab emicorum salutantium frequentia interpellaretur, reliquit; Et conversationi omni quasi renuntians, celebritatem cum solitudine permutavit, *Rhenoburgi* primo, tum Voorburgi, & tandem Hagæ-Comitis sedem suam figens. In isto secessu in inquisitionem veritatis pertinaci industria incubuit, simul se in Opticis, & tornandis poliendisque vitris, quæ telescopiis, & microscopiis inservirent, exercens. In institutum suum tanta animi contentione prosecutus est, ut per tres continuos menses pedem domo non extulerit. Imo cum Palatinus Elector Anno 1673. ipsi Professionem Philosophiæ in Academia Heidelbergensi, cum amplissima, sed religioni non obfutura, libertate philosophandi obtulisset; eam dignitatem recusavit, ne a promovenda Philosophia, ut ipse in Epist. 54. scribit, ces-

ſare deberet. Sic dum rerum naturalium eſſentias & proprietates curioſe magis, quam pie rimatur, in errorem *Capitalem* incidit: *DEUM* & *Naturam* unum eſſe & idem.

Interim fama hujus Anachoretæ Philoſophici adeo ſe ruri non continuit, ut potius quæcunque ingenia pro fortibus haberi vellent. ejus ambirent amicitiam. Condæus quoque Princeps, cum A. 1673. Ultrajecti cum copiis Gallicis verſaretur, Spinoſam, literis publicis, ut ſine periculo iter facere poſſet, inſtructum, Hagæ-Comitis ad ſe evocaſſe dicitur, ut cum Auctore Tractatus illius famoſi ſermonem haberet. Si converſationem & mores ſpectes, non tantum ex eo tempore, quo Evangelium cœpit profiteri Mennonitarum aut Arminianorum Cœtus Amſtelodami frequentavit, ſed etiam ab Amicis, & agreſtibus, cum quibus arctius vivebat, hoc teſtimonium obtinuit: eſſe hominem affabilem honeſtum, officioſum & moribus compoſitum; quo etiam ſolo dicam Atheiſmi ab aliquo ſibi ſcriptam, Epiſt. 49. amovit. Ad poſtremum Hagæ-Comitis d. 23. Febr. poſt-

quam

quam annum ætatis 44. excesserat Phtisi mortuus est, de Atheismo suo firmiter ut ferunt, persuasus, aut saltem ejus Professioni inhærens. Nam paulo ante obitum mandavit, ut Ethica sua imprimeretur. Valde autem cavit, ne qua immutati animi memoria de se extaret: Nam serio curare jussit, ut si se morti vicinum vis morbi contra Systema suum forte moveret loqui, omnes suspectæ fidei arbitri, nominatim Ecclesiastici, removerentur.

Non sine ratione adfirmat Dn. Bælius, Spinosam per abusum quorundam Cartesii Principiorum in hac præcipitia, & quidem paulatim abductum esse. Quod vero statuit, cum Anno 1663. quo Principia Philosophiæ Cartesianæ Geometrice demonstrata edidit, ab Atheismo adhuc alienissimum fuisse, & de Deo non pejus, quam Cartesium, sensisse, in eo ipsum Spinosam reclamantem habet, in Epist. 2. & 4. ad Oldenburgium. Illæ enim Epistolæ plane gemellæ scatent iis dogmatibus, quæ in ferali Ethica inculcat: Imo aperte fatetur, (Epist. 9. ad eundem) se non omnia in Principiis Philosophiæ Cartesianæ contenta pro suis agnoscere

ſcere, & eorum contrarium prorſus amplecti; *Henricus* vero *Morus* putat *Hobbesii Leviathanem* a Spinoſa diligenter lectum, tam monſtroſas opiniones ingeneraſſe.

Johannes Christoph. Sturmius in Differt. de *Carteſianiſmo*, oculis ſe eum uſurpaſſe pag. 165. refert, & teſtatur, *fuiſſe Spinoſam miſerandum homuncionem, vitam* egiſſe in obſcuro, neque tum auſum execrandas opiniones ſuas divulgare. Inclaruit imprimis *Tractatu Theologico-Politico de libertate philoſophandi*, ut ſub philoſophandi libertatis prætextu ei ſuam impietatem eructare eſſet integrum, anſam vero hujus libri publicandi in præfatione Author ſibi fuiſſe profitetur mores & conſuetudines paſſim in Eccleſiis Proteſtantium receptas, in quibus ſcilicet ex litibus lites ferantur & naſcantur, ſordida avaritia & ambitio dominetur, non honos & gloria Dei quærantur & naſcantur, ſed ipſi ſe Doctores apud populum vana gloria jactent; librum modo dictum primum ſuppreſſo nomine edidit, & quidem, ut titulus prodit, *Hamburgi*, apud *Henricum Künrath*, cum eodem tempore, ſcilicet Anno 1670. nemo ibi ejus nominis, nedum

nedum Bibliopola, vel Typographus inveniretur, viciſſim vero anno quoque 1684. ſpecimen artis ratiocinandi eodem inſtitutore Pſeudonymo prodiit, utique ejusdem illius ſpinoſiſſimi ſcriptoris; in eodem enim refellit, nonnunquam *Blyenburgium*, qui lingua Batava Ethicam ejus perſtrinxerat, quam An. 1690. *Chriſtoph. Wittichius* examinavit. Cæterum Tractatum illum Theologico-Politicum refutare aggreſſus eſt pariter anonymus J. M. V. D. M. in Epiſtola ad Amicum edita Ultrajecti ex officina *Cornelii Nonart*. Porro hunc Tractatum a capite ad calcem confutavit *Regnerus a Mansfeld*, Profeſſor Philoſophiæ olim Ultrajectinus. Poſt obitum Spinoſæ a diſcipulo ſuo quodam edita fuerunt Opera poſtuma ejusdem, in quarto, in quinque libros diviſa: primus ejus Ethicam, ſecundus Politicam, tertius de intellectu humano melius dirigendo, quartus continet varias Epiſtolas ad Viros doctos, & ab illis ad eum datas: quintus libellus eſt Grammatica Hebræa. In Ethica Geometrice procedit, qui poſtquam definiiſſet ſubſtantiam, eſſe Ens per ſe ſubſiſtens, inde deduxit unicam in Mundo eſſe

substantiam scilicet DEVM, quo nomine indigitandæ veniunt omnes creaturæ, cujuscunque sunt generis, simul sumptæ; & hoc falsissimo & infirmissimo fundamento innituntur omnes ejus demonstrationes. *Orobius*, Medicus Judæus Amstelodamensis omnia Spinosæ scripta confutavit, quæ manuscripta apud *Orobii* nepotes servantur, ut retulit mihi *Dn. Meza*, Rabbinus atque Medicus Amstelodamensis Celeberrimus. Porro *Velthuisen*, atque *Poiret* solidissime Spinosæ impietatem corripuerunt, nec non Doctissimus *Johannes Hovv*, Pastor inter Londinenses eloquentissimus, idiomate Anglicano, libro, cui titulus: *The Living Temple* acutissime impietatem ejusdem atque absurditatem patefecit & refutavit.

§. 2. *Spinosa* autem dogmata ab *Hobbesio* hausisse dicitur. Deum autem & naturam esse synonyma, multi inter priscos tradiderunt, vid. Albert. in 1. phys. tract. 3. lib. 13. apud Bailium *Alexander Epicureus dixit, Deum esse materiam, vel non esse extra ipsam, & omnia essentialiter esse Deum, & formas esse accidentia imaginata: & non habere veram entitatem, & ideo dixit idem*

idem esse substantialiter , & hunc Deum appellavit aliquando Jovem, aliquando Apollinem, aliquando Palladem. Et formas esse peplum Palladis, & vestem Jovis; & neminem sapientem dicebat ad plenum revelare posse, ea qua latebant sub peplo Palladis & sub veste Jovis. Sed inter *Spinosam* & aliquos veteres Atheos hæc una differentia, quod illi raptim & confuse, hic magis prolixe & systematice. Quandoquidem ergo, Dei negare existentiam, *horrendum facinus* esse fatetur ipsemet præfationis operlbus Spinosæ præfixæ auctor; ejusmodi *revera in Sapientes ne cadat, ne cadere possit*, omnem movet lapidem, qui præ cæteris mortalibus sapere & sibi & discipulis suis videatur. Cæterum mera sunt æquivocationum ludibria, quibus fucum incautioribus facere studet sceleratus Nugator. Etenim Deus, cujus existentiam videri vult agnoscere, non est ei supremum illud Numen, a quo, tanquam a primo auctore, sive prima causa efficiente, (ut in Scholis loquimur,) omnia condita esse, omnia conservari ac gubernari, immoto animorum consensu nos credimus, & eviden-

ter

ter scimus: Sed Dei nomine naturam intellige, id est, Universum hoc, sive quicquid ambitu suo complectitur hic mundus, ex se ipso & per seipsum ab æterno existens, nec ullam sui causam externam, sive efficientem, sive fatalem agnoscens. Quam monstrosam opinionem licet initio occultare studuerit auctor, edito tamen Tractatu Theologico-Politico, non ita dissimulare potuit, quin sagaciores illam lectores odorarentur, & quamquam in Epistola XXI. *Tota eos via errare scribat, qui putant, Tractatum Theologico-Politicum eo niti, quod Deus & Natura unum & idem sint*, mera tamen rursum id impostura est, fallitque ambiguitate vocis *Naturæ*, auctor; qua censores suos *massam quandam*, *sive materiam corpoream* innuere ait, quum ipse, in nota marginali illius ipsius Tractatus, cap. 6. p. 69. lectorem observare jubeat, *se per Naturam non intelligere Solam Materiam, ejusque affectiones, sed præter materiam alia infinita;* puta, ipsum hoc Universum, quod omnia junctim entia cujuscunque tandem indolis & conditionis, complectitur. Simili fallit æquivocatione, quan-

quando Deum vel Dei eſſentiam, omnium rerum cauſam eſſe aſſerit. v. gr. *tract. Theol. Politici*, *cap.* 4. & alias ſæpiſſime. Neque enim hoc eo ſenſu affirmat, quo a ſanæ mentis Theologis & Philoſophis communi ſuffragio docetur, ſed ita id explicat in Epiſtola ad *Oldenburgium*: *Deum omnium rerum cauſam immanentem rerum, ut ajunt, non vero tranſeuntem ſtatuo. Omnia, inquam, in Deo eſſe, & in Deo moveri, cum Paulo affirmo, & forte etiam cum omnibus antiquis Philoſophis, licet alio modo.* Ubi quum per cauſam tranſeuntem haud dubie eam auctor intelligat, quæ actione transeunte aliquid extra ſe ſuamque eſſentiam producit, & aliàs cauſa efficiens *externa* dici ſolet, talemque cauſam Deum reſpectu creaturarum eſſe negat, planum eſt, quod communem orbis & Chriſtiani & non Chriſtiani de Deo, omnium rerum auctore, conſervatore, gubernatore, ſententiam rejiciat. Quod vero ait, Deum eſſe omnium rerũ cauſam *Immanentem*, id nemo aliter facile poterit accipere, quam, eſſe quidem Deum cauſam creaturarum efficientem, ſed *internum*, ſive talem, cujus effectus in ipſa cauſa,

non extra illum exiſtit. Vel etiam, eſſe cauſam earundem *per emanationem*, a qua effectus immanenter per neceſſariam perpetuamque dependentiam emanat; uti v. gr. ignis cauſa eſt ſibi inexiſtentis caloris, aqua inhærentis frigoris, Sol intra ſe productæ lucis. Quæ poſterior expoſitio ad *Spinoſæ* mentem eo accedere videtur propius, quod Ethicæ ſuæ parte IV. in Scholio propoſitionis I. ille ſcribit, omnia ex naturæ divinæ neceſſitate ſequi, & parte I. corollario propoſitionis XXV. res *particulares* nihil eſſe niſi Dei *attributorum affectiones, ſive modos, quibus Dei attributa certo & determinato modo exprimantur*. Verum enim vero, ſi paulo intimius auctoris placita ſcrutemur, genuinam ejus ſententiam eſſe comperiemus, quod Deus ſit ipſa Natura ſiva Univerſum hoc, idemque ad entia determinata aliter ſe non habeat, quam totum per aggregationem ad partes, quibus conſtat. Deus namque & Natura ei paſſim ſunt ſynonyma; & quod nunc huic, idem mox illi tribuere, imo partes Naturæ, ipſius Dei Divinæque Eſſentiæ partes conceptis verbis appellare non dubitat, in De-

Demonstrationibus suis Ethicis. Sed ipsa luce clarius evadat, *Spinosam* non agnoscere Deum, qui mundi hujus Conditor sit, eundemque gubernet & ipsi prospiciat, supra allatis testimoniis adjicimus locum alterum ex appendice Ethices, ubi palam in eos invehitur homo extreme profanus, *qui credere non potuerunt, creaturas seipsas fecisse; Sed concluserint, dari aliquem, vel aliquos Naturæ rectores, humana præditos libertate, qui ipsis omnia curaverint, & in eorum Usum omnia fecerint. Atque horum etiam, ait, ingenium, quandoquidem de eo nunquam quid audiverunt, ex suo judicare debuerunt. Atque hinc statuerunt, Deos omnia in hominis usum dirigere, ut homines sibi devinciant, & in summo ab iisdem honore habeantur, unde factum, ut unusquisque diversos Deum colendi modos ex suo ingenio excogitaverit, ut Deus eos supra reliquos delegerit. & totam naturam in usum cæcæ illorum cupiditatis & insatiabilis avaritiæ dirigeret. Vide quæso,* (ita pergit,) *quo res tandem evasit! inter tot Naturæ commoda, non pauca reperire debuerunt, incommoda, tempestates scill. ter-*

ra motus, morbos, & alia: atque hæc ſtatuerunt propterea tvenire, quod Dii irati eſſent ob injurias ſibi ab hominibus factas, ſive ob peccata in ſuo culcu commiſſa, & quamvis experientia indies reclamaret, ac infinitis exemplis oſtenderet, commoda atque incommoda piis æque ac impiis promiſcue exenire, non ideo ab inveterato præjudicio deſtiterunt - - - pro certo ſtatuo, Deorum Judicia humanum captum longiſſime ſuperare. Quæ ſane unica *fuit cauſa, ut veritas humanum genus æternum* lateret, niſi *Matheſis aliam veritatis normam hominibus oſtendiſſet.* Hiſce omnibus non obſtantibus, adeo èſt impudens ac ſine fronte maledictus ille hypocrita, inquit *Kortholt*, ut negare auſit, quidquam docuiſſe, quod pietati, bonis moribus, & religioſæ virtutis praxi poſſit derogare. Alia ejus dogmata, ſc. nullos eſſe Diabolos, vel Spiritus, nullum Cœlum, vel Infernum, nulla eſſe præmia aut ſupplicia, Corollaria ſunt ex ſuperiori dogmate ſua ſponte emanantia, neque neceſſe eſt, ut ea perſequamur. Hæc itaque dicta ſunto de *Spinoſa*. Si quis plura ſcire cupiat, adeat *Baylii* Lexicon; *Hartnaccium*

de

de hæresiarchis ; *Kortholt* de tribus Impostoribus, *Jagerum*, qui fuse ejus dogmata enarrant ; *Emanuel Weberus* tamen scripto germanico defendere conatur.

Anno 1688. Casimirus Liszynsky Podsedek Brzesky Nobilis Polon. in carcerem conjectus est ab Episcopo Wilnensi sub prætextu, quod, quia Deum negaret, omni jure esset destitutus. Hic quidem protestabat contra tales injurias sibi illatas, cum nondum sit convictus, atque accusabat Clerum, quod inquisitionem Hispanicam introducere vellet. Clerus vero contra eum reum facere cupiebat, non solum Atheismi, sed etiam, quod dixerit, matrimonium sacrum nihil nisi nudum esse pactum, & affinitatem non officere contractioni matrimonii. Quapropter etiam filiam suam cognato cuidam nubi voluit, ob quam causam excommunicatus esset. Sed ut majorem speciem acquirerent hæ accusationes, scriptum quoddam producebatur 15. paginarum, in quo argumenta contra Dei existentiam collecta erant, & simul hoc legebatur : *Deus non est creator hominis, sed homo est creator Dei, quia Deum sibi finxit ex nihilo ;* ex quo

quo manifestum esse putabant, hunc verum esse Atheum.

Senatores Reipubl. protestabant contra hunc processum judicii Ecclesiastici, quia antea cognitionem causæ habere debuissent. Sed his nihil moratis, illud judicium pergebat, & accusabat hunc hominem coram Fisco Lithuaniensi, cui etiam se ita declarabat; *Divinam majestatem agnosco at veneror, in vicaria sui Christi majestate; Ego adoro eum, qui est creator, rector & conservator mundi, ego vero sum misera creatura.* Simul malam corporis sui constitutionem excusabat, ita, ut lingua ejus palato adhæreret, quare Advocatum sibi concedi petiit. Porro etiam contra accusatores se defendebat; *Ego credo Deum esse*, & quæ scripsi, „non meo nomine scripsi, neque iis assentior; sed ideo omnia, quæ alii scripserunt, „colligebam, ut in altera parte refutarem, „& nova argumenta proferrem ad veram „Dei essentiam confirmandam. Quod vero adjeci, *nos Athei credimus*, ideo factum est, quia Atheum loquentem introducebam. Sæpius miratus sum, quod Alstedius tam levia argumenta attulerit pro existentia DEI & ob

ob hanc causam ea annotavi. Insimul adduxit fortiora argumenta coram Judice pro existentia Dei, quam alias leguntur. Advocatus ejus opposuit exceptioné termini illegitimi, quod non legitime citatus & incarceratus fuerat, cui vero per decretum regale os occlusum est, & ultimus terminus ad causam dicendam brevis satis indicabatur. Tunc Advocatus iterum probabat, accusatum nulla laborare pertinacia in voluntate, neque errore in intellectu, siquidem tantummodo aliorum sententias exscripserit sine approbatione, sed potius cum proposito eos refutandi. Cum praeterea hic sensus ex ipsius vitae curriculo satis appareat, quod teste toto comitatu, Christiano more peragebat, quid quod enim brevi ante suam captivitatem coena sacra utebatur, & largas Eleemosynas porrigebat, Scripta sua reliqua, jam vero a suis accusatoribus surrepta, multas quoque pias meditationes continere. Denique pollicitus est, haec omnia jurejurando confirmare, & gratiam implorabat.

Sed accusatores pertinaciter insistebant, lachrymas accusati fictas appellabant, bona opera non effectus esse fidei, gratiam & condona-

donationem Regis nullam esse, quia sine justitia maxima esset Tyrannis. Ad quod accusatus demum respondit: se debere esse, uti surdus, nullius criminis sese esse conscium, & his se non esse justificatum.

Deinde petebat, ut sibi concederetur, se in cœnobium conferre, ubi innocentiam suam palam facere vellet. Sed nihilominus morti adjudicabatur, d. 10. Martii An. 1689. coactus est palinodiam canere in Ecclesia & Regis gratiam implorare. Quo facto d. 28. demum supplicio adjudicatus est, & Rex ipsi ex gratia concessit, ut gladio decollaretur. Quæ decollatio d. 30. Martii facta est, corpus vero ejus in cineres reductum sicque tormento injectum, ex ipso versus Tartariam explodebatur. Ut plenius demonstrarent, hunc fuisse Atheum, hoc Epitaphium allegarunt, quod sibi ipsi fecisse dicebatur.

Heus Viator!
Lapides istos cave prætereas;
Nihil ad hos offendes, nisi veritate offendaris
Disces a Saxis.
Verum:
Quod homines, etiam qui sciunt, id
esse

eſſe verum, docent eſſe falſum.
DOCTRINA SAPIENTUM PRUDENS
eſt mendacium.

§. 3. Sub idem tempus *Matthias Cnuzius* referente *Hartnaccio*, Holſatus, vel, ut alii tradunt, e tractu Eiderſtadenſi, qui ad Slesvvicenſem Ducatum pertinet, oriundus, eo dementiæ proceſſit, ut divina prorſus & humana tollere & exturbare orbe conaretur. Dialogos nonnullos ſparſit, quorum præcipuo *Henricum* quendam *Brummerum*, qui ſane, ater an albus ſit fueritve, necdum compertum habeo, (inquit *Hartnaccius*) ſuas defendentem partes introducit. Vagus tandem in ſuperiori Germania, ſchedas ſuas diſſeminaturus, in Academiam quoque Jenenſem pervenit, ubi in lucem protractus a primario tum temporis Theologo D. *Joh. Muſæo*, qui adverſus illa nefanda dogmata Germanico idiomate ſingularem librum edidit. Ejus dogmata huc redeunt. (I.) Non eſſe Deum, neque Diabolum. (II.) Magiſtratum nihil æſtimandum, templa contemnenda, ſacerdotes rejiciendos. (III.) Loco Magiſtratus & loco ſacer-

dotum esse scientiam & rationem, cum conscientia conjunctam, quæ doceat honeste vivere, neminem lædere, & suum cuique tribuere. (IV.) Conjugium a scortatione nihil differre. (V.) Unicam esse vitam: Post hanc, nec præmium, nec pœnam dari. (VI.) Scripturam S. secum ipsam pugnare: id in Epistola quadam expedire cupit, quam hoc loco exhibemus.

Amicus Amicis Amica.

Demiratus hactenus sæpiuscule, qui fieret, quod Christiani id est, rotarum in modum uncti, secum discordent, & nunqnam non altercationis serram reciprocent, jam demum cesso demirari, cum intellexerim, eorum canonem quoque & fundamentum, quod Biblia nuncupant, secum penitus dissonare & vacillare: possem equidem id vel sexcentis per omnes, qua Veteris, qui Novi Instrumenti libros statuminatum ire exemplis, sed metus est, ne fortean legentibus argumentorum multitudine nauseam creem, idcirco paucis duntaxat in medium proferam: ut ea a lecturientibus eo melius possint ponderari. Nihil hic dicam de men-

suris

furis, quarum mentio est *1. Reg. 7. v. 26.* & contra *2. Paral. 4. v. 5.* quæ e diametro, (si quid judicare possum) sæpe numero contrariantur; nihil etiam dicam de personis, verbi gr. Si conferas *Gen.* 26. v. 34. cum *Gen.* 46. v. 2. ibi enim Bosmath. Esavi uxor dicitur filia Elon Hethitæ, his vero Ismaelis, & id genus alia, de quibus alii. Adde, quod in iisdem Sacris ejusmodi æquivoca repe- riantur vocabula, quæ non duas, (quod non infrequens est,) sed novem, imo plane decem admittant significationes, v. gr. *Lex*, *Spiritus*, *Mundus*, &c. ut prorsus non detur certitudo in vero sensu indagando, quicquid etiam Canonum super Canonem istum *Scharffius*, *Waltherus*, & alii *uncti* comminiscantur. Quæ cum ita sint, Amice, nemo hominum vitio mihi vertet, si una cum meis gregalibus (quorum innumerus mihi numerus Lutetiæ, Amstelodami, Lugduni, in Anglia, Hamburgi, Hafniæ, nec non Holmiæ, imo Romæ, & in contiguis locis adstipulatur,) Universa Biblia bellæ fabellæ loco habeam, qua belluæ, id est, Christiani, rationem captivantes, & cum ratione insanientes

delectantur. Insuper Deum negamus, Magistratum ex alto despicimus, Templa quoque cum omnibus Sacerdotibus rejicientes. Sufficit nobis Conscientiariis Scientia non unius, sed plurimorum, *Luc. 24. v. 39.* videte, &c. (εἷς enim ἀνὴρ ἐ πάνϑ' ὁρᾷ,) & conscientia conjunctim accepta. Hæc enim conscientia, quam benigna nimirum mater Natura omnibus indidit hominibus, nobis loco Bibliorum, ad *Rom. 2. v. 14. 15.* loco Magistratus; est enim tribunal, teste *Gregorio Nazianz. Tom. 2. Orat. 15.* in plagam grandinis *p.m. 247. B.* & loco Sacerdotum est, docet namque hic Doctor, neminem lædere, honeste vivere & suum cuique tribuere. Hæc, inquam, si male fecerimus, loco mille tormentorum, imo Inferni; sin bene, loco cœli, *quamdiu hac unica vita superat*, semper erit. Hæc, conscientia scilicet, nobis nascentibus nascitur, hæc etiam nobis in morte pereuntibus perit. Hæc sunt principia nobiscum nata, & qui illa rejicit, seipsum rejicit. De quibus omnibus fusius in posterum spero. Interibi de omnibus Christianorum fidei articulis, cum omni-

omnibus meis fratribus perdius & pernox in ore gero,

Scribebam Romæ 6. Kal. Martii.

Credant hæc Cuncta,
Unctus & Uncta,
non ego,
MATTHIAS CNUZEN,
Holsatus.

P. S. Hæc Epistola plus millies descripta est, & si Magistratui, Sacerdoti vel Christiano de his literis judicandum venit, perinde est, ac si quis ex pictore quæreret, utrum picturæ? Ex Organædo, utrum Organa Musica Pnevmatica in æde sint toleranda? ut hi, sic illi Judices aliquid affectibus dare consueverunt. Vale.

Talis etiam Atheus videtur fuisse non ita pridem Studiosus quidam Juris, nomine *Joachimus Gerhardus Rom*, Glückstadiensis Holsatus, qui Wittebergæ seipsum suspendit, hoc scripto in Museo suo relicto: *Tædio finem quæro vitæ miserrimæ, injecto laqueo, redigendus in id, ex quo originem duxi meam; Judicium eorum, qui me nescio, quo*

relegatum putarint, contemno. Anima namque nostra mortalis est; Religio ad vulgus pertinet, inventa scilicet ad decipiendos homines, eoque melius regendos: neque vero sic sentiens, jure videor vocandus Atheus. Quis enim Deum esse sana mentis homo negat? ut vere ea, qua vulgo de religione traduntur, a Sacerdotibus doceantur, ratio, ut ajunt, postulat status. Qui aures habet, audiat. Mundus regitur opinionibus. Sed sat sapienti! non enim omnes hoc verbum capiunt. In me sepeliendo velim agatur humaniter, quam in rem impensi sumptus nullum est dubium, quin a me restituantur. Quibus cum gratiarum actione meo nomine pro tam infinitis beneficiis, ab initio vita usque ad hunc infelicem, imo felicissimum diem in me collatis, simul extremum vale, dicetur, sed trahor ad fata. Neque equidem amplius possum sine lachrymis de illis cogitare, inque hac morte, vita inquam, sine extremis cordis angustiis diutius permanere. Invasi Deum calidissimis precibus ante discessum meum, fusis etiam lachrymis, ideoque confido, cum ex infinita sua misericordia, in gratiam me re-

recepturum; nolite me nolite me condemnare, ne ipſi rurſus condemnemini.

Huic ingenioſe his verbis nonnullus reſpondit:

Reſpice finem
quisquis
Divinam Magiſtratus authoritatem ludibrio
Sacerdotes pro impoſtoribus
animam pro fumo
Religionem pro fabula imo pro decipula habes
en:
Atychus Eutycho polites fidei tuæ ſocius
finem fidei ſuæ
funem reportavit.
Si in nihilum, ut putas, redigeris?
Quid curas, quo pacto corpus pereat?
In terra, flamma in ventre avium
ferarumque
Nihil inter eſt, ſi anima mortalis?
unde Anguſtiæ? Terrores?
ſi religio nulla eſt,
Quid calidiſſimæ preces? quid fuſæ lacrumæ?
Infidelis fides, Dominum agnoſcere
ſervitutem negare, Deum confiteri.
Religionem impugnare, atque Deum non
negas?

Credo *hujus Seculi*
Deprecaris eum ut constet scilicet:
Etiam inferre id; genua coram Deo incurvanda
Nunc Juda, Luciane, dubita utrum vera sunt
quæ Pastores dicant.
Res & spes tua redibit ad restim
Testamentum scribit Litera longa Funis.

Adjungenda hic historia insignis, e libello, de statu Imperii Turcici deprompta, idiomate Anglico conscripto, authore D. *Ricaut*, quæ sic habet: Illi, qui inter Turcas Atheismum profitentur, *Musarini* nominari gestiunt, (i.e.) qui habere penes se verum secretum; cujus secreti summa hic redit, Deum nullum agnoscere, atque constanter affirmare, principium internum aliquod cujusque individui, cursum omnium rerum dirigere. Sol, luna, atque astra cætera inde habent originem atque motum, neque hominis dissimilis est ratio, postulat enim, crescit, viret, denique marcescit, non secus atque herbæ, cæterique flores. Mirum & incredibile dictu, quantus eorum numerus

sit

ſit *Bizantii*, qui hanc fovent opinionem, quorum maxima pars in ſcriptis Arabum verſatiſſima, & dignitate *Cadiſii*, ſeu Judices, reliqui ſunt Chriſtiani profugi, & apoſtatæ, qui conſcientiæ morſibus atque exprobrationibus exagitati, propter renunciationis ſcelera, nihil magis volunt, quam ut cum hoc mundo ſpectabili omnia finiantur. *Mahomet Effendi*, Vir in literis Orientalibus apprime doctus atque hujus opinionis propugnator acerrimus, ſupplicio publico eſt affectus, dum eſſem Bizantii, propter varias bleſphemias contra exiſtentiam Dei ab eodem jugiter effuſas. Ad ſuam impiam opinionem ſtabiliendam, hoc argumento uti ſolebat: *aut* nullus eſt *plane* DEVS, *aut non eſt tam potens*, neque tam ſapiens, *quam ille a noſtris* Doctoribus *eſſe perhibetur, alioquin me, qui odio & contemptu ejus exiſtentiam laceſſo, exagito, & perſeqnor, ſi quis ullus alius mortalium, maximo, non tam diu vivere permiſiſſet.* Et, quod mireris, tametſi poſſet vitam redimere, ſi meliora in futurum profiteri polliceretur, abhorrendo a tam impiis opinionibus, conditionem tamen plane reſpuit,

dicens, se potius moriturum pro veritate, licet bene noverit, se nulla manere præmia.

Fateor, (pergit author) me olim credidisse, nullum dari Atheum, satis persuasus, existentiam Numinis demonstrari posse ex lumine naturali, sed incredibiiis hujus hominis pertinacia me clare docuit, esse etiam homines. qui horrendum in modum omnia rationis lumina & sensum supremi Numinis prorsus extinxerint. Hujus sectæ venenum ita est subtilis, ut Evnuchus, fœminas, Præfectos infecerit, & in aulæ usque penetralia irrepserit. Qui hanc sectam colunt, mire se invicem diligunt, humani sunt & affabiles, fidei hujus socios libenter hospitantes, quos postquam lautioribus conviviis acceperint, noctu illis offerunt elegantis formæ socias atque amabiles, quando tempus est eundi cubitum. Ajunt Sultanum Morat mirum in modum favisse huic sectæ & in aula & militia, quamvis inter vulgus aliam sectam, austeram pietatem præ se ferentem, Zadezadalis vocatione, promoveret. Huic valde similis apud *Senenses* est secta decantatissima *Literatorum* dicta

cta in rebus gerendis versatissima, ideoque a Rege in pretio habita; quamvis mundum hunc aspectabilem æternum & incorruptibilem credant, neque ullum agnoscat numen ab ejusdem materia & compagine distinctum; omnemque de animæ futuro statu doctrinam susque deque habeat, ac veluti politice excogitatam, sibilo explodat.

Habetur quoque apud Illustrissimum *Leibnizium* lib. Theudicée p. 15. historiam non dissimilem: L'aneantissement de ce qui nous appartient en propre, porté fort loin par les quietistes, pourroit bien etre aussi une impieté chés quelquesuns: comme ce qu'on raconte du Quietisme de Foë auteur d'une grande secte de la Chine, lequel apres avoir prêché sa religion pendant quarant ans, se sentant proche de la mort, declara a les disciples, qu'il leur avoit caché la verité sous le voile de metaphore, & que tout se reduisoit au neant, qu'il disoit etre le premier principe de toutes Choses. Mentionem denique facit *Arnoldus* Scriptor germanicus in America sectæ *Ceraveas* nomine cujus patroni, Deum esse negant, sed omnia fato regi & gubernari statuunt. Sed quic-

quicquid sit de Philosophorum sectis. Incredibile prorsus est gentes integros sine Deo, sine Rege & sine ratione vivere. De veteribus quidem Callaicis sub gente Hispanica vulgo comprehensis narrat *Strabo* lib. III. ἔνιοι δὲ καλλαικοὺς ἀθέους φασί, quidem Callaicos non agnoscere Deum ajunt, sed suspicari licet, hoc inde fuisse, quia nulla haberent simulachra, in templis quod & aliis nationibus commune erat. Sunt qui de Brasiliensibus hoc statuerunt, sed meliora edocti jam dudum famam mendacem viri eruditi deseruerunt, vid. Joh. Ludov. Fabricius Apologeticum pro genere humano contra Calumniam Atheismi, ubi attenditur, rudem forte obscuramque divina tractandi & enuntiandi rationem, penes barbaras gentes observatam pro Atheismo fuisse habitam. sed Bælius generatim hanc opinionem approbat, ratus Scriptores itinerum, præstantissimæ famæ viros, jam dudum in aprico posuisse, quod Atheæ gentes in America invenirensur: Sed venire illi in mentem debebant quæ ex Scriptoribus non deterioris famæ in contrariam partem attulerunt alii. Propter hanc variasque

que opiniones existentiæ & attributis Dei parum faventes & ipse a multis impietatis accusatur, & hoc certum est, hunc Scriptorem elegantissimum, magni ingenii gloriam turpi philosophandi licentia deturpasse in perpetuum.

Sunt plures qui *Campanellam* quoque accusant impietatis propter varias infrunitas opiniones in libro de *sensu rerum*, ubi & quatuorum Elementis vitam tribuit atque sensationem, imo saxis metallisque singulis sensum inesse statuit. Ego, inquit, Thomas Campanella qnatuor de sensu rerum libros scripsi, maxime necessarium ad ostendendum Deum esse contra Atheos, ejusque statuam & simulacrum, non autem corpus esse mundum visibilem contra Var. & Plin. &c. Defero lib. *de sensu rerum* p. 27. *Wendlerus* ita de illo scribit: Inter præcipuos superioris Seculi Naturalistas referri quoque Philosophia sua nimis acuta Thomas Campanella promeretur - - porro adeo acceptus Regi Galliæ, ac Regni proceribus, ut scripta ejus a Doctoribus sorbonicis in lucem publicam protracta manu clementissima acceperint, licet in iis de sanctissimis Christia-

næ

næ fidei mysteriis otiosis suis speculationibus acute quidem satis, sed tamen impiissime ac maxime blaspheme senserit. Prodierunt nuper duo libri magno judicio & eruditione referti in Hollandia, adversus Johannem Tolandum, natione Hibernum, ex multis scriptis su idiomate Anglicano conscriptis celebratissimum & apud Batavos jam per multos annos degentem; Rubrica unius libri sic sonat: Melanges de Remarques Critiques, Historiques, Philosophiques, Theologiques, sur les deux dissertations de M. Toland Intitulées l'une l'Homme sans superstition & lautre les Origines Judaiques. Par Elie Benoit Pasteur de l'eglise Wallone a Delft. 1712. chez Adrien Beman. alia dissertatio hoc insignita est titulo, DefensioReligionis, nec non Moisis & Gentis Judaicæ, contra duas dissertationes Joh. Tolandi quarum una inscribitur Adeisidæmon, altera vero Antiquitates Judaicæ a Jacobo Fayo, SS. Theol. Doctore & in Ecclesia Ultrajectino-Britannica sacrorum mysteriorum Interprete. Summam vero Tolandi Doctrinæ secundum hunc Authorem sic habeto:

SYM-

SYMBOLUM FIDEI TOLANDICÆ

ARTICULI NEGANTES.

NEGO

Spiritus incorporeos.
Mentem æternam & præstantissimam.
Providentiam Numinis Divini.
Immortalitatem animæ humanæ.
Pœnas & præmia in vita futura.
Authentiam & divinam Scripturæ originem.
Miracula *Mosis* & *Christi*.
Mosem fuisse Auctorem *Pentateuchi*.

ARTICULI AFFIRMANTES.

AFFIRMO

Mundum aut naturam rerum esse solum Numen, neque genitum, neque interiturum.
Religionem esse pulchrum Politicorum commentum.
Religionem vulgi esse superstitionem.
Atheismum esse naturalem notitiam, & sapientissimorum virorum Religionem.
Religionis institutores & sacrarum legum latores esse vafra & subdola ingenia.
Omnium religionum Sacerdotes & sacrorum mysteriorum Interpretes esse simulatæ

latæ pietatis vanos ostentatores, qui ex errore alieno quæstum faciunt.

Religionis cultores & Numinis cœlestis veneratores esse ignarum & imbecille hominum genus.

Quæcunque pro supernaturalibus habentur, & in Deum vertuntur, esse res mere naturales.

Quæ pro miraculis venditantur & creduntur, esse fraudes impostorum, vel effecta morbi melancholici in testibus, qui ea viderunt, & audierunt.

Autographa Veteris & Novi Testamenti intercidisse.

Mosem & Scriptorem *Pentateuchi* fuisse Pantheistas, aut, ut recentiores loqui amant, Spinosistas.

Mosis scripta explicanda & corrigenda esse ex exoticorum Scriptorum libris.

Certiorem fidem adhibendam esse *Strabonis* diligentiæ, quam *Mosis*, ut pie creditur, auctoritati.

Atheum esse meliorem civem quam Theistam.

Religionem Reipublicæ nocere.

Hisce Articulis perlectis, quivis probus

forsan

forsan speraret fore, ut tam absurdæ impietatis tandem pudeat & pœniteat] Tolandum; *quod ut det Deus ter Opt. Max. ex intimis visceribus precor voveoque.*

An quid suis Adversariis reposuerit hactenus non novi. Multa alia scripta ab Ecclesia Anglicana improbata jam dudum edidit, inter quos erat libellus in 8vo. cui titulus: *Religionem non esse mysterium.* Qui & in Hibernia publicis flammis decreto Superiorum fuit conjectus, quod olim a multis audivi; sed quia de præsenti non est mihi hujus viri scriptorum copia, ne quid proferam temere, plura non habeo monenda.

CAPUT XI.

§. I.

HÆc itaque sunt, quæ de omnium temporum Atheis maxime famosis commentari hac vice visum est, ubi, ut res ipsa loquitur, propositum nobis non fuit, vel veram contra Atheos Ecclesiæ sententiam operose confirmare, vel quibus ea oppugnatur adversæ partis argutias in Examen

vocare curiosius, quod ferias heic fecerint nobis Viri doctissimi, qui de industria contra Atheisticam impietatem pro veritate Christianæ Religionis libros dudum ediderunt, ex. gr. *Gisbertus Voetius*, *Petr. Dan. Huetius* in demonstratione Evangelica. *Theoph. Spizelius* Scrutinio Atheismi, de Atheismi radice, it. Epistola ejus de extirpando Atheismo ; quæ responsio est ad *Antonii Reisseri* Dissertationem Epistolarem ad Spizelium de Origine, Progressu & Incremento Atheismi. *Johannes Lasscnius* in victo Atheismo. *Theodorus Vander-Eyk* de stultis Atheistis. *Mathæus Hale* de Originali proventu humani generis cum *Henrici Schmettaui* Præfatione de Atheismo. *D. Tobias Wagner* Examina elenchtica Atheismi speculativi. *Abrah. Hinckelmanni* disput. de Atheismo. *D. Joh. Musæus* Introduct. in Theologiam naturalem, ubi Part. II. cap. 5. Sect. 2. p. 394. Tractatum Spinosæ de libertate philosophandi, præsertim quod errorem circa miracula attinet, aggressus est. *Mersennus* Comment. in Genesin. Sic etiam *Hugo Grotius*, *Marsilius Ficinus*, *Philipp. Mornaus*, & *Abbadius* in scri-

scriptis eorum de Veritate Relig. Christianæ. Itidem *M. F. Dyrois* Preuvez & Prejugéz pour la religion Chretienne, & Reverendi Episcopi *Eduardi Stillingfleeti* Epistola ad Theistam, qua Religionis Christianæ & sacrarum literarum Veritas vindicatur. *Malebranchii* Conversationes Ecclesiasticæ, quibus Veritas Religionis & disciplinæ Christianæ asseritur. Discours contre les Athées par *M. Tillotson* Archeveque de Canterbury. Conciones Gallicæ D. de Superville. *D. Sam. Parkeri* disput. de Deo. *Burcheri de Valder* disputat. Philosophicæ de Atheis. *Dn. de la Serre* Sepulchrum Atheistarum. *Joh. Lud. Fabricius* Apologeticum pro genere humano contra Atheismum. *Joh. Sam. Pufendorff* de Jure Nat. & Gent. passim. *Frider. Spanhemius* in selectis de religione controversiis. *Rudolph. Gottfr. Knichen.* in Opere Politico. *Bentleyus* contra Atheos. *Cudvvorthii* Systema intellectuale Anglice. *Joh. Paul. Hebenstreit* Theologia naturalis. Sicut etiam Gallica & alia Scripta a Dn. *de Seckendorff* de statu Christian. Cui annecti potest *Frid. Weisii* lumini gratiæ præ-

lucens lumen naturæ, ubi ex natura tantum, veram religionem probare conatur: sed nimium tribuebat naturæ, cum nobis lumine gratiæ jamjam donatis, facile sit talia invenire, quæ gentiles naturaliter optimi & honestissimi nunquam invenissent. Spinosam refutavit *Henric. Morus*, *Mansveldus*, *Lambert*, *Velthuysen*, *Bleyenburgius*, *Petrus*, *Poiretus*, *Abbadius*, *Christ. Wittichius* & *Petrus Yvon*, qui postremus Cartesianos & Patr. Malebranche adortus, probare conatur, Spinosam venenum suum ex Cartesii Principiis suxisse. Et pro viribus eorum impietatem propalare, & patefacere ut Atheorum esca, verborum lenocinio, æquivocatione, & fraudibus temperata, capiat & inficiat imbecilles incautorum animos.

§. 2. Sed antequam manus tollamus ab hac tabula, adjiciemus historiam unam vel alteram, quibus pateat ab hoc fermento, Atheorum aliquos divina misericordia & assiduitate amicorum fuisse liberatos. Notissima est historia *Francisci Junii*, qui in sua vita de seipso sic scribit: *Memini, quum libros M. Tullii de legibus per illud tempus, auctore & suasore Barthol. Anulo*, Gymn. Rect.

Rect. *expenderem, & notas quasdam in eos animadverſionesque colligerent, venire hominem quendam ad me, & illa Epicuri verba, quæ libro primo exſtant, nihil curare Deum, nec ſui nec alieni, multis quam diligentiſſime confirmare: ad quæ ego non ratione judicioque certe reſpondebam: ſed aſſenſionem paulatim adhibens, ſentiebam venenum ſerpens, quod imbiberam, confirmari in me: Et cum auctoritate hominis, tum argutiis dictorum ejus præceps eo deferebar, ut meus animus in iſto malo hærens occalleſceret, totusque fieret* ἀναίσθητος. Modum vero liberationis ſic habeto ſuis verbis. *Hic ergo Novum illud Teſtamentum divinitus oblatum reperio: aliud agenti exhibet ſe mihi aſpectu primo auguſtiſſimum illud caput Johannis Evangeliſtæ & Apoſtoli*, In principio erat Verbum, *&c. Lego partem capitis, & ita commoveor, legens, ut repente divinitatem argumenti; & ſcripti majeſtatem auctoritatemque ſenſerim, longo intervallo omnibus Eloquentiæ fluminibus præeuntem. Horrebat corpus, ſtupebat animus, & totum illum diem ſic afficiebar, ut qui eſſem, ipſe mihi incertus*

viderer esse. Recordatus es mei, Domine Deus mi, pro immensa misericordia tua, ovemque perditam in gregem tuum recepisti. Ex eo tempore, quum in me Deus tam potenter Spiritus sui virtute irruisset, alia frigidius & negligentius legere & tractare cœpi: De his vero, quæ ad pietatem pertinent cogitare amplius, & ardentius in eis versari.

§. 2. Quæ sequitur Historia non est minus notabilis. N. N. Gente Italus, Patria Consentinus Franciscani Ordinis Monachus, postquam varias in Ecclesia Romana fraudes detexit, quibus circumvenire alios Monachi solent, imprimis Patres Monasterii, in quo degebat, quippe qui ægre ferentes Monasterium suum reliquis splendore multo esse inferius, hanc fraudem excogitarunt, Caput Imaginis Christi in Cruce pendentis primo dissecarunt, deinde excavarunt, atque cavitatem cucurbita salita impleverunt, terebra facto foramine circa utrumque oculorum angulum, ut sole caput irradiante, humor cucurbitæ salitæ efflueret; atq; re mox publicata, populo persuaserunt, imaginem plorare, quod non eadem frequentia suum

mona-

monasterium, atque alia visitarent&adorarent, imo totum ejus templum negligerent, ut sensim minaretur ruinam; quo facto populus affatim affluens, munera non contemnenda apportavit, & lachrymarum guttas aliquas charo pretio redemit; atque ita Monachi paulo ante pauperrimi, facti sunt opulentissimi Deinde Neapoli in quodam Monasterio prope mare sito, aqua dulci per canales subterraneos, in locum aquæ marinæ diducta, atque sibi per orificia canalis magno satis cum impetu erumpente, populo Monachi persuaserunt, sanctam Mariam Virginem æstumationem suam & amorem eo miraculo erga Monasterium demonstrare velle.

§. 3. Post hæc de Veritate Religionis Romanæ dubitare cœpit Monachus, & mox quæ corde pressit publicare, motis contra plerosque articulos dubiis; quod multis, inprimis ex Neapolitanis Nobilibus, placuit, atque ab iisdem postmodum in secretum locum ductus, ubi magna hominum multitudo, præsertim nobilium convenerat, ubi differentem, nesciebat ab initio quem, de omnium rerum ex fortuito atomorum con-

cursu sine Numine audivit, cujus existentiam Orator mox in dubium vocabat, mox negabat. Pedetentim itaque in Atheismum incidit, præsertim postquam vidit se hoc pacto variis Nobilibus placiturum, & in eo tantum fecit progressum, ut excusso omni Numinis metu, contemptim de religione & hominibus religiosis subinde loquutus fuerit, tandem multis suspectus ad Inquisitorem delatus & in carcerem est conjectus; neque alia via evadere potuit, quam ficta palinodia, ita jubente Cardinale de Laurea.

§.4. Quamprimum vero e carcere liberatus, aliorsum se conferre statuit, ubi tutius animi sui placita publicare sibi liceret, & quia putabat interReformatos, utpote homines nullius religionis (quoad ille audiverit) se fore tutissimum, ad eos transitum fecit; sed divina providentia factum, ut ad virum doctissimum pariter atq; pientissimum accederet, qui ejus Atheismum cito detexit, purioris doctrinæ vere Christianæ Ideam sibi proponi vidit, ex quibus rebus factum est, ut non ita multo post, & Atheismum, & Religionem Romanam deposuerit, & quia adhuc forsan est

eſt in vivis noſtram Religionem profeſſus, nomen ejus conſulto taceo. Vir optimæ fidei & inter Baſileenſes Eccleſiaſtes eruditiſſimus, qui hoc Italo uſus eſt familiariter, ſua manu hiſtoriam hanc deſcriptam benevole mecum communicavit.

§. 5. *Tertia* hiſtoria erit illa *Roffenſis Comitis*, conſcripta a Venerando Præſule, GILBERTO BURNETO, Sari Epiſcopo, in libello propter elegantiam, Latine reddito Ultrajecti 1698. cui titulus eſt: *Roffa Comitis in extremis μετάνοια*, ſeu *pœnitentia ſalutaris*; ubi narratur, quomodo Comes ille, cum profanam ac belluinam vitam diu ſatis egiſſet, præſulis opera ad Deum per veram pœnitentiam ſit tandem converſus, poſtquam prius ille huic ſua cogitata, opinionesque ac præjudicia mala aperuerat; inter quæ illud occurrit, quod cum de affectibus coercendis quæſtio eſſet, quos Comes per rationem & philoſophiam putabat coerceri poſſe, ubi reſponderat Præſul, huic principio ad ſubjugandas libidines, non ſatis ineſſe virium -- niſi homo intra ſeipſum lege aliqua in officio contineretur. Hactenus Cl. *Poiretus* Defenſ. libr. de Erudit. ſo-

lida p. 482. Insuper fassus est Ruffensis *BURNETO*, se vehementer fuisse confirmatum in opinionibus suis Atheisticis, atque præsertim de Mortalitate animæ, postquam amici sui maxime intimi anima post mortem promissis non stetit; ante prælium enim navale contra Batavos, datis dextris sibi invicem promiserant, ut si alteruter malo fato fungeretur, & a vivis decederet, superstiti compareret, & quid in alio mundo ageretur, accurate referret. Sed quam injustum & incongruum sit hoc postulatum multis verbis atque solidis docet Venerandus Episcopus, Animæ separatæ non sunt sui juris, neque plane convenit Majestati Divinæ identidem novis atque reiteratis miraculis hominum libidini atque curiositati satisfacere. Hic lubet apponere Comitis moribundi ultima verba sinceræ pœnitentiæ plenissima: For the benefit of all those vvhom J have dravvn into sin by my Example and incouragement, J leave to the vvorld this my last declaration, vvhich J deliver in the presence of the great God, vvho knovvs the secrets of all hearts, before vvhom Jam novv appearing to be Jud-

ged

ged, that from the bottom of my ſoul J deteſt and abhor the vvhole courſe of my former vvickedneſſe, and that J can never ſufficiently admire the goodneſſe of God, vvho has given me a Lively Sence of my pernicious opinion, and vile practices by vvhich J have hitherto livd vvithout hope, and vvithout God in the vvorld; J have bin an open Enemy to Jeſus Chriſt, doing utmoſt despite to the Spirit of grace. And that the greateſt Teſtimony of my charity to ſuch, is, to vvarn them in the name of God, and as they regard the vvelfare of their immortal ſouls no more to deny his being or his providence, or despis e his goodneſſe, no more to make a mok of ſin or contemn the pure and bleſſed religion of my Redeemer, thro vvhoſe merits alone, J one of the greateſt of ſinners do y et hope for mercy and forgivveneſs. Amen.

Declared in the preſence
of Anne Rocheſter.
Robert Parſons.

Sealed
J. Rocheſter.

Qſt

Quæ latine sic sonant: *In communia mortalium commoda atque illorum imprimis, quos exemplo meo & instigatione ad vitam dissolutam & depravatos mores seduxi, ultima hac & intima animi mei cogitata, coram Deo pronuntio, qui secreta cordium novit, & qui me mox judicaturus est. Profiteor palam me ex animo, vita mea cursum hactenus male transacta vehementer detestari, & ab ea abhorrere quantum possum, maxime: fateor quoque me non satis posse Dei bonitatem erga me admirari, qua ut pleno aspectu errores mentis & vita dissolutiones abunde ob oculos ut videam mire effecit. Hactenus etenim sine spe & sine Deo proh dolor! vixi, in odio habui Jesum Christum, & Spiritum Sanctum omnis gratia authorem petulanter contempsi. Quamobrem omnes atque singulos hortor, precor obsecro in nomine Dei Immortalis (majora enim Charicatis mea argumenta dare non possum) si salus animarum propriarum cordi sit, in futurum neque existentiam ejus in dubium revocate neque providentiam negare, neque bonitatem ejus vilipendite, peccatum ut susque deque habeatis diligen-*

ter

ter cavete, neque castissimam & excellentissimam Redemptoris mei Religionem spernite, propter cujus sola merita ego peccatorum maximus adhuc remissionem peccatorum spero. Huic non dissimile est, quod de seipso fatetur *Bussius Rabutinus*, Comes, hujusmodi pactum inter se & quendam *Jumeau* intercessisse, idque utrique tantopere fuisse cordi, ut quoties alter alterum morti esse propinquum existimaret, identidem de exsolvenda hac post mortem fide commoneret. Ac cum postremo *Jumellus* iste diem obiisset, *Bussius* ipsius spectrum per multas noctes avide a se, & sine ullo pavore fuisse expectatum commemorat; verum id frustra, atque in cassum. Et quanquam aperte non dicat, sese hac re in cœpta dubitatioee esse confirmatum, tamen ita multis post annis vixit, ut haud esse pientissimum, facile posset intelligi. Ipse sane in T. I. Epist. Gall. pag. 209. lecto libro Rev. *Abbadia* de Verit. Rel. Christ. ita scripsit: *Jusques icy je n'ay point eté touché des tous les livres, qui parlent de Dieu, & j'en voi bien aujourd'hui la raison. C'est que la sourse m'en paroissoit douteuse, mois*

la

la voiant claire, & nette dans les livres de l'Abbadie, il me fait valoir tout ce, que je n'estimois pas, &c.

CAPUT XII.

§. I.

QUandoquidem homines impii atque Athei omni tempore arietate solent adversus immortalitatem animæ, Providentiam atque Resurrectionem: operæ pretium mihi videtur, citationes aliquas elegantissimas ex probatis Authoribus, hic, coronidis loco, in calce operis apponere. *Lactantius* lib. 1. cap. 6. Instit. de Providentia sic edisserit: *Nemo est tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in Cælos tollens, tametsi nesciat, cujus Providentia regatur hoc omne, quod cernitur, non aliquam tamen esse intelligat, ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudiue, temperatione; nec posse fieri quin id, quod mirabili ratione constat, consilio aliquo majori sit instructum.* Item *Theodoret.* Orat. de Provid. *Considerate visibilium naturam, situm, ordinem, statum, motum, consonantiam, Harmoniam,*

niam, venuſtatem, pulchritudinem, magnitudinem, uſum, oblectationem, varietatem, alterationem, permenſionem, cernetis Providentiam DEI in qualibet parte manifeſtam. Cernimus ipſam in cœlo, & luminibus cœli, ſole, luna, & aliis aſtris: in aere, in nubibus, in terra, in mari, in plantis, in herbis, in ſeminibus, in animalibus tam rationalibus, quam irrationalibus, pedeſtribus, volatilibus, natatilibus & reptilibus. Cogitate apud vosmet ipſos, quis ſit continens cœleſtis apſidos, quod tot millibus annorum cœlum non conſenuerit, nullam mutationem recipiens, ſed tamen poſſibilem habens & corruptibilem ſubſtantiam, maneat tale, quale erat: verbo curationis ſuſtentatur. AMBROSIUS 1. de offic. cap. 13. *ſi non eſt injuria & probrum* DEO, *minutiſſimas quoque res feciſſe, multo minus probrum illi, factas regere.*

§. 2. De immortalitate Animæ CICERO de *Amicitia* hæc habet: *Neque enim aſſentior iis, qui hæc nuper diſſerere cœperunt, cum corporibus ſcilicet animas ſimul interire atque omnia morte deleri. Plus apud me valet authoritas noſtrorum majorum*

rum, qui mortuis tum religiosa jura tribuerunt, quod non fecissent profecto, si nihil ad res pertinere arbitrarentur, vel eorum in hac vita fuerunt, magnamque Gratiam, institutis & praeceptis suis erudierunt. Vel ejus, qui Apollinis Oraculo Sapientissimus est judicatus. Qui non tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, animos hominum esse divinos, itaque cum ex corporibus excessissent, reditum ad Cælum potere. Item 1. Tuscul. *Animarum nulla in terris origo inveniri potest: Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum esse videatur: Nihil, ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum; his enim naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura provideat, & complecti jussit præsentia: quæ sola divina sunt, nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo. Singularis est igitur quædam natura, atque vis animi, sejuncta ab his usitatis, notisque naturis, ita quidquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod rogat, cæleste &*

& divinum est, ob eamque rem æternum sit, necesse est. *Calixtus* Tract. de animæ immortalitate sequentia refert. Descriptio regni Africani Guineæ, quæ primum a Batavis edita, & post latina facta est, notat, Regni ejus incolas, de altera vita, & extremo Judicio interrogatos, respondisse, se quidem extremum Judicii diem prorsus ignorare, affirmasse tamen alienam esse rationem hominum, & aliam pecorum, licet quæ hominum post mortem conditio foret, prorsus ignorarent, neque scirent, an locus ille, quo transferrentur, supra, vel infra terram esset: Nihilominus de supellectile solere partem aliquam defunctis adsignare, ut quocunque tandem devenirent, haberent, quod ad usus quotidianos necessarium esset. Hinc patet, *inquit Author*, credere quidem eos aliquo modo vitam posthanc aliam superesse, sed resurrectionem mortuorum prorsus ignorare, existimantes, sed simul atque moriuntur, in alterum mundum transferri, ubi varia suppellectile, perinde ac in hoc mundo, indigeant, unde si aliquid forte perdant, ejusmodi statim concipiunt cogitationes, ve-

nisse forsitan aliquem amicorum suorum ex altero mundo, & illud abstulisse, quod eo carere diutius non potuisset. Atque hinc factum, (quod suo postea loco commemoratur,) ut singuli Nobiles, qui in aula Regi ministrarunt, ei defuncto mancipium aliquod largiantur, cujus ministerio in altero mundo utatur. Quin additur alios e mulieribus suis unam, alios e filiis unum offerre, atque hos inopinato & nihil tale cogitantes trucidari, ne animadvertant, sibi cum Rege in alterum mundum proficiscendum esse, omnes vero cum Rege contumulari, ut unà iter faciant. Ad eundem fere modum, de *Tartaris* narravit *MARCUS PAULUS VENETUS*: Quandò corpus magni Cham tumulandum defertur ad Montem Alchai, hi qui ipsum ad sepulturam comitantur, perimunt passim eos, quos in via obvios habent; ite & Domino nostro Regi servite in alia vita. *Chinenses*, sive rectius *Sinenses*, quorum religio pure pagana, sine contagio Mahummedismi, credunt omnes immortalitatem animæ, atque post hanc vitam retributionem bonorum malorumve, prout quisque bona malave

ges.

gesserit, & ob id monumenta sepulcralia magnifice excisa defunctis statuunt. Credunt; in altero mundo vitam immortalem esse. Hæc de iis testatur *JANUS HUGO LINSCOTANUS*, parte prima operis sui cap. 25. Quæ ipsa Janus quoque *Gonzales* de *Mendoza* Augustinianus magna asseveratione confirmat, Descriptionis Sinæ libro 2. *Nicolaus Trigautius* Jesuita, qui videri vult res Sinensium certius cognitas habete & accuratius describere, quam hactenus alii fecerint, tres dicit Sinensibus Patriæ superstitionis esse sectas. Unam *Literatorum*, penes quos cognitio disciplinarum, & administratio Reipublicæ. De animi immortalitate antiqui, ait, vix videntur dubitasse, recentiores autem literati, animos una cum corpore, aut paulo post, extingui docent; unde neque probis Cœlum nec improbis inferorum cruciatus assignant. Quibusdam hoc nimis durum videtur, ideo adferunt solos proborum animos esse superstites. Altera Sinarum secta *Sciequia*. vel *Omithose*, appellatur. Hanc legimus initio magno applausu invehi cœptam, ex eo maxime; quod animam immortalem, & alterius vi-

tæ præmia clare proponeret. Tertia *Lanzu* nominatur, hæc etiam de præmiorum ac pœnarum locis agit, sed in loquendi modo discrepat non parum a superioribus. Hi enim suis Paradisum spondent ex anima simul & corpore constitutis, & in suis Templis quorundam effigies exponunt, quas hac ratione in cœlum evolasse fabulantur. Ista, & plura legi possunt apud eum, quem diximus *Trigautium*, libro primo de Christiana Expeditione apud Sinas, capite decimo. De *Peruanis*, gente barbara superiori Seculo detecta, quæ *Josephus a Costa* scribit, subjungam: Indi, ait, qui in Peru habitant, animas hominum immortales esse; ac pias vitam æternam, impias autem æternam damnationem manere credunt. Ideoque ad hujus articuli fidem suscipiendam adduci facile possunt. Corpora vero una cum ipsis animabus aliquando resurrectura esse, omnino ignorabant. Atque hinc, scribit, factum esse, ut de altera vita solliciti mancipia in exequiis suorum mactarent, quæ ibi a Ministeriis essent. Quinimo, inquit, mortuis quoque argentum in os, manusque ac sinus imponunt, ac duplici veste cadavera in-

induunt. Siquidem persuasum habent defunctorum animas passim oberrare, & varias affectiones frigoris, inediæ, sitisque ac dolorum perpeti. Qua causa etiam quot annis vigilias ac supplicationes ordinarias instituunt, & defunctis tum cibos, tum potum, ac vestes necessarias subinde conferunt. Mox de *Mexicanis* idem fere narrat, in exequiis Magnatum mori coactos, qui viventibus inserviendo præsto essent, ut easdem in altero quoque Seculo operas præstarent, ne qua fors ibi commoditate Domini destituerentur: eodem etiam fine, inquit, una cum defunctis tot thesauros auri, argenti, & gemarum consepeliebant. *Epuremeos* indigenas auriferæ provinciæ *Guianæ*, cum *Peruanis*, religione & opinionibus convenire, testis est *Gualtherus Raleigh*, scilicet, credere eos immortalitatem animarum, adorare Solem, & uxores, quas habuerunt charissimas, uti thesauros quoque suos, sepeliendos secum curare; *Orenoqueponos* autem non sepeliri quidem cum uxoribus, sed cum omnibus suis thesauris, sperare enim & credere, se post hæc tempora illis rursus potituros. *Taupinam-*

sam, seu scrobem, (quam extremis mundi finibus, procul ab ipsis, versus occidentem sitis, esse censent,) ad perpetuum ignem: eum locum ipsi *Popogusso* appellant. Hæc illi homines, a nobis toto orbe divisi nec locorum minus intervallis, quam moribus & disciplinis: dicuntur Barbari, ut sunt quoque.

§. 3. Eorum itaque exempla ostendere volui, quod de immortalitate animæ, & hujus post mortem beatitate, vel miseria constans ubique gentium sit sententia, *a principiis naturæ hausta, quæ videri queat, non tam addisci quam connasci omni enim in re consensu omnium gentium lex Naturæ putanda est*, ut recte *Tullius*. Simul animadvertere licet, ut iis, quæ vera quidem & e lumine Naturæ legitime deducta, superstruxerint falsa, vana & impia. Verum est, animas esse immortales, iisque post suum a corpore discessum bene fore vel male: ac falsum est, felicitatem ob victoriam ab hostibus reportatum obvenire; Vanum est, suppellectilem quasi in altero Orbe usui futuram contumulari; non autem vanum modo, & superstitiosum, sed

impium quoque & crudele est, homines eo fine trucidari, ut defunctorum in æterna vita commodis prospiciatur. Interim tamen unanimis est omnium sententia: *Sunt aliquid manes; lethum non omnia finit.* Nam & de communi receptoque hoc consensu, quem faciunt opiniones vulgatæ gentilium, sive fabulæ de Manibus, Campis Elisiis, Tartaro, a Poetis quoque, *Homero*, *Virgilio*, *Ovidio*, decantatæ. Ipsæ enim immortalitatem animæ, quasi fundamentum substernunt, & nisi hac posita, enasci non potuissent. Lubet hic recitare aliquot *Prudentii* versus:

Si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quidquam,
Quis mihi Regnator cœli? quis Conditor Orbis?
Quis DEUS? aut qua jam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros fervente libidine luxus,
Incestabo thoros, sacrum calcabo pudorem,

In-

Inficiabor habens aliquod sine teste propinqui
Depositum tenues avidas spoliabo clientes
Longævam perimam magico cantamine matrem.
Tardat anus Dominum dilata morte secundum,
Nec formido malum, falluntur publica jura;
Lex ornata sedet, sed nescit crimen apertum,
Aut si res patent, Judex corrumpitur auro,
Rara reos justa percellit pœna securi.

De Resurrectione Mortuorum elegantissime scribit DAMASCENNS lib. 4. c. 28. de orthod. fide: *Non impotens est, qui in principio ex pulvere terræ corpus constituit, rursus resolutum & conversum in terram, ex qua sumptum fuerat, secundum Conditoris dictum, iterato suscitare illud. Si non est Resurrectio, manducemus & bibamus, & veluptuariam deliciosamque vitam transigamus. Si non est Resurrectio, in quo differimus a rationis expertibus? Si*

non est Resurrectio, beatas dicimus agrestes feras, jucundam, tristitiaque carentem deducentes vitam. Si non est Resurrectio, neque DEUS est, neque Providentia, sed casu cuncta ducuntur & feruntur, &c. THOMAS part. 1. quæst. 76. artic. 2. scribit: *Animam habere naturalem aptitudinem & inclinationem ad corporis sui unionem, quinimo animam corpori unitam esse perfectiorem, quam ab eo separatam.* ATHENAGORAS in Orat. de Resurrectione hæc habet: *Appetitus æternitatis, quoniam cuti homini est insitus, fit, ut totus homo immortalis sit, redditur ergo corpus luci & vitæ, & hominem totum non in alienum usum DEUS retulit, sed ad actum procreavit natura sua intimum & congruentissimum, ut DEUM amet, imitetur, fruatur.* Sed hic jam pedem figimus!

Gloria sit soli DEO in secula!

FINIS.



CONTENTA.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

De

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

Contenta.

CAP. VII.

CAP. VIII.


CAP. IX.

CAP. X.

De

CAP. XI.

CAP. XII.



ERRATA.

Pag. 74. lin. 21. leg. ὕλη. p. 82. l. antepenult. l. πρῶτ☉. ibid. l. penult. l. ἀτόμοις. p. 246. l. 21. l. exemplis. p. 248. l. 24. post *postremum* adde *me tractaturum*. p. 252. l. 22. l. *pullulat*. p. 271. l. 20. l. *forgiveness*. p. 274. l. 7. *arietare*.

[illegible]

DEMONSTRATIO EXISTENTIAE ET ATTRIBUTORUM DEI

ADVERSUS HOBBESIUM, ET SPINOSAM POTISSIMUM ATQUE EORUM ASSECLAS

Anglice conscripta

A

SAMUELE CLARKIO, M.A.
multum Reverendo, in DEO Patri Johanni Episcopo, Norwicensi, a Sacris.

Accedit Interpretis

JENKINI THOMASII

HISTORIA ATHEISMI.

Rom. I, 20. Nam invisibilia DEI ipsius a creatura mundi factis intellecta conspiciuntur, ipsaque sempiterna ejus Virtus & Divinitas, ita ut sint inexcusabiles.

ALTDORFFI NORICORUM
apud JODOCUM GUILIELMUM KOHLESIUM,
A. R. S. CIↃ IↃCCXIII.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

GEORGIO LVDOVICO

S. ROM. IMPERII ARCHITHESAVRARIO ET ELECTORI, DVCI BRVNSVVICENSI ET LVNEBVRGENSI, ET RELIQVA

ELECTORI ET DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

ELE-

ELECTOR SERENISSIME AC POTENTISSIME, *DOMINE CLEMENTISSIME,*

VT TVAE SERENITATI hunc libellum a me dicatum ſupplex porrigere audeam, POTENTISSIME PRINCEPS, facit prudentia rei militaris maxima & animi fortitudo, quam olim Chriſtianæ religionis hoſtes experti ſunt, & adhuc in TE experiuntur, qui libertatem Europæ perturbant; facit & ſingularis TVA animi propenſio, ac benevolentia incredibilis erga optima quæque litterarum ſtudia,

quæ

quæ certe magnam belli gloriam omni tempore auguſtiorem reddiderunt. Facit cumprimis pondus & magnitudo argumenti, Principibus atque Regibus dignisſimi. De ſumma etenim rerum hic agitur, de politici regiminis, ac cultus religioſi, itemque de virtutis & vitii, cauſa & origine; uno verbo, de *Exiſtentia* & *attributis* Dei Optimi Maximi. Cujus vicem Principes gerunt in terra, omnemque ſuam poteſtatem illi acceptam grato animo referunt; & cujus exiſtentiam atq; cultum ſi iniqui homines impune carpſerint, actum eſſe de Principum auctoritate, illi ipſi ſine monitore quam optime intelligunt. Homo quippe Atheus, cum nihil ſua na-

tura injustum aut impium esse statuat, virtutes, vitia, jurajuranda, fidem, conventus, fœdera, leges sacras & civiles, modestiam, pudorem, & si quæ sunt hujus notæ retinacula alia, ad homines in officio continendos, verba esse inania, & præterea nihil, affirmare non dubitat; unde non potest non esse perfidus perduellis, & ad omnem fraudem paratissimus, spes modo inpunitatis illi affulserit & optabilis exitus. Quæ profecto dogmata bello & pace Rebuspublicis sunt maxime exitiosa. Facit denique, ut TIBI, POTENTISSIME ELECTOR, hunc libellum a Britanno conscriptum, dem, donem, dedicem; quod non solum ab Illustrissimo GVELPHO-

PHORVM & PALATINORVM PRINCIPVM, ANGLORVM, DANORVM, GALLORVM, SCOTORVM, REGVM, ſed etiam a CAMBRO-BRITANNORVM PRINCIPVM ſanguine, TVAM ducis originem. Quid ergo rectius comodiusque poteſt fieri, quam ut homo Britannus in Germania hoc tempore peregrinabundus, POTENTISSIMO ELECTORI GERMANIAE, propinquitate generis tamen, ſucceſſionis jure, & magna Britannorum conſenſione vere Britanno, qualemcunque obſervantiæ teſſeram, ut par eſt, in itinere deponat. Accipe igitur, quo ſoles vultu a clientibus TVIS hujus generis munuſcula, hoc quoque levidenſe meum: quod ſi fortaſſis non ſa-

tis idoneum, certe ingenuæ pietatis erit qualecunque documentum. Vt vero DEVS immortalis omnibus bonis, quibus summa felicitas continetur, TE cumulatum quam diutissime terris indulgeat, religiosissima mente precor,

POTENTISSIMAE SERENITATI TVAE,

DOMINE CLEMENTISSIME,

devotissimus cliens,

JENKIN THOMAS.

PROOEMIVM AVCTORIS.

QVandoquidem dudum extant libri bene multi iique utilissimi ad probandam Existentiam Dei ejusq; attributa; in minime multa, sed oppido perspicua verba, prudenter contrahere volui, quæ de hoc argumento habeo proponenda. Quamobrem unum argumentandi filum vel methodum sum sequutus, quam, quantum rei natura patitur, volui esse mathematicam, dimissurus interea argumenta nonnulla minus perspicua & valida. Haudquaquam etenim veritati inservitūrum me arbitrabar, si ad eam propugnandam ejus generis adhibuerim rationes, quæ non nisi suppositionibus, ab adversariis nostris hactenus nequaquam concessis, nituntur. Nihilominus tamen ista argumenta a nobis omissa, nullo modo vilipendimus: immane etenim consilium & inhumanum plane institutum esse judicamus, nostra facta & studia Lectoribus commendare non alio modo, nisi vituperando & deprimendo aliorum operam atq; labores, qui pro viribus nobiscum eundem habent scopum, veræ religionis nimirum & virtutis amplificationem. Sed quisque debet adhibere ea argumenta, quæ ipsi videntur evidentissima, & an revera sint talia, Lectorum permittendum est judicio.

ERRATA.

Pag. 5. lin. 9. lege finem. p. 17. l. 12. l. stadio. p. 18. l. ult. l. consequentia. p. 19. l. nullam. p. 21. l. 10. l. patet. l. 24. post *esse* adjice *arbitrantur*. p. 22. l. 16. post *sua* adde *causa*. l. 18. l. saltem. p. 28. l. 12. post *posse* adjice *esse*. p. 24. l. 8. l. eum. p. 35. l. 6. l. illum. p. 47. l. 18. l. intellexisse. l. 48. l. 17. l. inertem. p. 49. l. 21. post *in* pone *quo*. l. 23. l. probatu. p. 51. l. 13. l. latei. p. 52. l. 5. l. luminis. l. 21. l. apprime. p. 57. l. 1. post *atque* adjice *semel*. l. 18. l. præteribimus. p. 59. l. 12. l. connectuntur. 69. l. 12. l. perfectionis. p. 73. l. 3. post *proprietate* adde *præditos*. l. 5. post *non* adde *habent*. p. 74. l. gustus. p. 75. l. quam. p. 80. l. 20. l. ullo. p. 81. l. 7. l. pretii. l. 18. l. opificium. p. 83. l. 12. l. is. l. 16. l. contradictorium. p. 86. l. 22. l. in. p. 87. l. 1. l. tribuebant. p. 90. l. 22. l. actu. l. 23. post *posse* adde *esse*. p. 110. l. 13. l. interventi. p. 111. l. 12. l. hasce. p. 116. l. 2. l. gestet. p. 77. l. cognesceт p. 119. l. 11. ante *an* pone *sed*. p. 120. l. 17. l. actu. p. 124. l. 2. l. actu. p. 131. l. 16. l. separatissimum. p. 132. l. post *posse* adde *esse*. p. 136. l. 15. l. actu. p. 137. l. 24. l. prædıtæ, nulla templatione percitæ. p. 140. l. 1. l. eventu. p. 142. l. 10. l. quanta quanta. p. 148. l. 13. l. præventri. p. 171. l. 6. l. defensionem. p. 173. l. ult. l. satisfaciunt. p. 174. l. imponente.

303

ARGUMENTA LIBRI.

INTRODUCTIO DE CAUSIS ATHESMI.

Re-

305

mentis



DEMONSTRATIO EXISTENTIAE ATQVE ATTRIBVTORVM DEI:

POTISSIMVM ADVERSVS HOBBESIVM, SPINOSAM EORVMQVE SEQVACES.



Mnes qui serio & animitus, nullum Numen Supremum existere credunt, vel qui hoc præ se ferentes, Athei audire gestiunt, vel quod eodem redit, omnes illi qui præcipua Dei attributa funditus evertunt: ponendo interea Numen aliquod sensione & intellectu destitutum, necessario duntaxat agens, vel si magis proprie loqui velimus extrinsecus actum, cum sponte & voluntario nihil omni-

no agat : omnes, inquam, qui hoc ſenſu ſunt Athei, propter unam vel alteram ex hiſce tribus rationibus evadant tales, neceſſe eſt.

Primum, propter craſſam ignorantiam & ſtupiditatem quæ incultum tenet animum, ita ut veritatem quamvis obviam a falſo ſeparare non norint, vita etenim ita incogitanter transacta, ut vitam brutorum tantum non minimum tranſcendat.

Secundum, propter vitam diſſolutam & vitiis ita obrutam, quæ principia rectæ rationis ita corrumpit & naturæ humanæ ſtatum adeo pervertit, ut ſolide de natura rerum diſſerere non noverint, neque velint quidem, vel ſi maxime noverint, ne poſthæc tacitis conſcientiæ morſibus reprehenſi, turpibus voluptatibus timidius atque parcius navent operam.

Tertium denique, quod ſibi firmiter perſuadeant utpote rationibus philoſophicis freti, argumenta ſua adverſus exiſtentiam Numinis ſupremi allata, noſtris multo eſſe evidentiora, quæ ad eam probandam adhibere ſolemus.

Hæ ſunt cauſæ unæ ac præcipuæ, quæ excogi-

cogitari possunt, propter quas Deum existere possit temerarius aliquis negare; ita ut omnes Athei qui sunt, fuere, vel futuri sunt, una vel altera harum causarum absque omni dubio se moveri patiuntur; Quantum quidem ad primam & secundam classem hominum attinet, intactas præteribo; cum ejus generis homines propter inveteratam mentis ignorantiam & voluntatis depravationem ad argumentationes nostras examinandas sint plane inepti, ne quicquam habentes quod reponant nisi ludibria quæque & chachinnationes; multo esset convenientius cum hujusmodi viris de natura hominis & de convenientia rerum in genere confabulari sæpius & solide, quam de Deo & de re sacra, ut quodammodo sese dignoscant: sed qnamdiu hoc non factum fuerit, operam plane inutilem posituri sumus; illorum enim est culpa, quod frustra reclamante recta ratione, malis affectibus animi indulgeant. Cum tertio igitur Atheorum genere sermones in præsentia conferre æquum duximus, sic sibi enim satisfacere videntur, se neque temere neque injuria, sed rationi sanæ innixos negare

Deum existere, cum his inquimus, utpote argumentatione dignis confligemus.

Antequam tamen ad rem ipsam veniatur, in antecessum, Atheorum concessiones nounullas præmittere prudenter volumus, quas & ipsi secundum sua principia nobis largiri vel inviti tenentur.

I. Si optio detur, viro prudenti, nihil certe desiderabilius, nihil utilius aut aptius esse potest, quam ut Numen supremum bonum, justum & sapiens (si non de facto existit) tamen existat, quod universo præsit & curam habeat rerum humanarum: Quascunque Athei effingunt hypotheses, qualescunque cudant sibi objectiunculas, sua argumenta & suppositiones usque & usque eos cogunt, ut confiteantur, nostram hypothesin in se esse exoptatissimam. Si v. gr. objiciant, notitiam quam de Deo habemus, non ex limpidis naturæ & rationis fontibus esse haustam, sed astutia eorum, qui potiuntur rerum & Respublicas administrant, fuisse excogitatam; Sed nonne inde simul necessario sequitur, notionem & agnitionem Dei quam plurimum contribuere ad inserviendum tranquillitati publicæ.

In-

Insuper, si regerunt universum nescio quo felici casu, fuisse generatum, eodemque plane modo dissolutioni omni temporis momento esse obnoxium, & forsan subito pessundatum iri fierique chaos.

- - Maria ac terras cœlumque
Una dies dabit exitio, multosque per annos
Sustentata ruet moles & machina mundi.
- - - Dictis dabit ipsa fidem res
Forsitan & graviter terrarum motibus orbis
Omnia conquassari in parvo tempore cernes.
Lucret. Lib. V.

Nullum esse hominem ita vecordem arbitror, qui in hujusmodi rerum statu sibi gratulari & contentus possit vivere, quemadmodum merito quisque vivat sub regimine omnipotentis, optimi atque sapientissimi Numinis. Adde huc, Atheos identidem significare, se in fabrica universi ingentes percipere defectus & imperfectiones quamplurimas; melius ergo esset, si universum a sapientissimo aliquo Architecto magis composite & elegantius fuisset ædificatum. Deinde si regesserint, actiones humanas susque deque ita haberi, nulla plane boni vel mali ratione habita,

iterum respondemus eapropter optabilius & convenientius esset multo, si Deus justus, sapiens, existeret, cui pœnas darent mali & a quo expectarent præmia boni, quam ut casui fortuito subjiciantur omnia. Denique supponant, mundum esse ab æterno, necessario existentem, & consequenter inexorabili fato omnia esse obnoxia, ita ut neque prudentia neque consilio evitari possit, quod est in fatis; Nemo horum negare audet, quin electio & libertas agendi longe sint præferendæ fatali alicui rerum statui, in quo non secus ac saxa deorsum in omnibus actionibus nostris necessario & usque propellimur. Quæcunque itaque effugia Athei sibi excogitent, vel quocunque se convertant, tandem fatendum est illis, deteriorem multo esse conditionem humani generis, sine ullo moderatore positi, quam rectori potentissimo & maxime propitio subjecti, quem supra supposuimus,

Homo certe, utpote animal maxime imbecille atque infirmum, omnes felicitatis partes (cujus est capax) suis viribus complecti non potest, malis etenim multipli-

tiplicibus obnoxius eſt, quæ nec prævidere nec evitare poterit, penuria omnium rerum laborat, cui ſuccurrere quemadmodum non novit, multisque incommoditatibus circumſeſſus, atque diſcriminibus expoſitus, ex quibus ſe expedire plane neſcit. Rerum fruitio brevis & incerta, ut nihil ſibi promittere poſſit, niſi dubia & infirma ſpe; quapropter ægerrime fert illa, quæ evitare non poteſt, & nimium vehementer inhiare ſolet ea, quæ fortaſſis nunquam obtinere poteſt. Ex quibus abunde patet ſuo malo nulla dari remedia, quibus æquo animo & fidenti credere poſſit, niſi illa a notitia Dei & religionis petita, quæ quidem mire & commodiſſime omnibus humanæ naturæ defectibus ſatisfaciunt. Quamobrem neceſſe eſt, ſapientes omnes fateantur, ad vitam feliciter inſtituendam, nihil notitia & agnitione ſupremi Numinis aptius, optabilius, aut commodius inveniri aut excogitari poſſe; quod ſi res ita ſe habeat, ſapientes quique nihil magis in votis habere poſſunt, quam ut illis demonſtretur ſine mora, mundum & omnia in eo contenta, ſapientiſſime dirigi a mode-

ratore potentissimo & æquissimo; imo Athei secundum sua principia vehementissime debent exoptare, ut suæ opiniones sint falsissimæ, & ut nostræ contra sint verissimæ: hinc tenentur, omnibus animi affectibus & studio partium sepositis, Argumenta nostra, quibus probare conamur existentiam & Dei attributa, æqua lance ponderare diligenter, cum de re sua æterna agitur.

II. Isti Athei Philosophici, turpibus vitiis utpote liberi, cum quibus unis nobis est sermo, secundum principia rationis, cui inniti potissimum videntur, tenentur agnoscere pari modo, cujusvis generis derisiones & ludibria adversus religionem, omnia quoque scommata atque explosiones adversus nostra argumenta esse partim humilia, partim infamia & ab omni honestate remotissima: quapropter si suis principiis steterint, e suo numero debent longissime abigere omnes illos moriones ridibundos, qui omni tempore pantomimorum more scenico, omni veritatum consequentia inhumaniter contempta, in risus stolidos intempestive dissolvuntur,

cum

cum profecto observantia maxima cujuscunque veritatis discussioni debetur merito, multo magis quando quæstiones habentur de veritatibus maximis atque æterni momenti?

III. Quandoquidem ii, cum quibus arma conserimus, adigantnr eo, ut fateantur suppositionem Summi Numinis, utpote beneficio Universi commodam, nostra optione esse dignissimam: pari modo fatendum est illis, etiamsi in præsentia supponatur, existentiam & attributa Dei non posse demonstrari; tamen in eorum numero eam esse, quæ admodum sunt probabilia & vero similiora, quam falso, & quæ a nemine falsa esse demonstrari possunt. Hisce saltem, inquam, suppositionibus, nihil æquius, nihil rationi convenientius aut humanæ naturæ conducibilius esse poterit, quam ut sectemur virtutem, colamus religionem, & ut vitia quæque, utpote dignitati homini adversantia profligentur & eliminentur e medio.

Hisce in antecessnm missis, si solummodo rationis suæ cultor audire gestit, Atheus erit certe nullus, qui hæc nobis sponte non

sit concessurus, quia cum illis Atheis voluptatum esca delinitis, ut supra dictum est, nulla de præsenti lis est, quippe qui rationi suæ non minus quam religioni, bella inferre satagunt. Pergamus itaque, & præcipuo instituto nostro inserviamus diligenter, & quantum possimus maxime, ob oculos horum, quorum modo meminimus, rei veritatem ponamus, ut vi veritatis persuasi, fateantur ipsi existentiam Dei & ejus attributa, probabilia & simillima vero non esse tantummodo; sed ex principiis evidentissimis demonstrabilia omnibus, qui a præjudiciis sunt liberi, & qui intendent mentis aciem ad attendendum.

Verum enimvero quia viri, cum quibus hoc loco sermones conferimus, nihil quicquam autoritati, cujuscunque generis ea sit, tribuere solent; nos quoque æquum duximus, rationi potissimum inhærere, ejusque tribunal unum appellare, adversariorum ingenio, quantum id agi potest, nos accommodantes. Plura sane dantur argumenta, quibus Existentia Dei & Attributa demonstrare plures hactenus susceperunt, quorum fortassis singula, si intelligantur, plenè

plene, & proponantur dextre, & ab omnibus vitiis liberentur, quibus laborant aliquando, devenirent fortissima. Sed ut ab omni sermone perplexo abhorream, & perspicuitati pro viribus inserviam, non omnia Argumentorum genera hoc tempore adhibebimus, sed dabimus operam pro mediocritate nostra & debilitate ingenii, ut continua propositionum serie necessario nexu conjunctissime unitarum, Existentiam & Attributa Dei evidenter demonstremus. Et quia cum incredulis rem potissimum habemus, nulla argumenta quantumvis in se vera, & illustrationis causa utilissima, si objectionibus sint obvia, afferre in medium, est firmum nobis propositum; sed talia urgebimus præcipue, quæ negari non possunt, nisi destruatur ratio, quam tamen juxta nobiscum, colunt adversarii, eamque ponunt pro incredulitatis suæ stabilimento. Hæc attamen jure ab illis postulamus; ut præjudicia candide deponant, & ea imprimis ab artium terminis nullam ideam distinctam significantibus, frequentius oriunda; seponant quoque axiomata quædam philosophica pro veris hactenus rece-

recepta, quæ tamen si cominus examinaverimus diligenter, propositiones esse vagas inveniemus illas, nullam plane habentes significationem.

Primo itaque certo certius est, & omni exceptione majus, *Aliquid extitisse ab æterno*. Hæc propositio ita est evidens, ut nullus Atheus eam negare unquam fuerit ausus; neque opus est, ut eam multis probare laboremus; quandoquidem aliquid hoc tempore *existit*, aliquid quoque omni tempore *extitisse*, abunde constat, alioquin res jam *existentes*, e nihilo essent exortæ, sine ulla plane causa, quod manifeste implicat contradictionem: nam dicere, rem quidem esse productam, & hujus productionis nullam ponere causam, tantundem est, ac si dixeris, rem esse productam, sed a nihilo esse productam, hoc est, eodem tempore non esse productam. Quicquid itaque existit, habet causam suæ existentiæ, aut necessitate naturæ & per consequentiam æternum est, vel voluntate alterius; tum ille alter saltem ordine naturæ & causarum, antea exstitit. Aliquid igitur exstitisse ab æterno omnium certissima

est

est veritas, ab omnibus, nemine contradicente recepta, (sed quod res est fatear) si ad modum hujus existentiæ respexerimus, nihil certe conceptu difficilius, quam hæc prima & clarissima veritas. Nam quomodo *æterna duratio* nunc actu potest esse, superat profecto captum nostrum longissime, attamen negare propositionem ipsam, foret absurdissimum, & multo magis incomprehensibilius.

Ex quibus inferimus, quod etiamsi propositiones nonnullas, quæ existentiam, attributa, infinitatem vel æternitatem Dei quocunque modo respicientes, in se evidenter demonstratas, respectu tamen modi alicujus obscuras admodum & difficiles inveniamus, non est quod anxie laboremus, neque veritatem semel demonstratam eo minus colamus & firmiter teneamus. Quod si nonnullæ propositiones & a parte veri & a falsi quoque parte, demonstrari possunt, id est, aliquas propositiones veras esse eodem respectu tum affirmative tum negative; posito tali absurdissimo casu, fateor, res aliter se haberet, sed hujusmodi incondita suppositio veri & falsi differentiam e me-

e medio prorsus tollit, & omni ratiocinio ponit finem. Sed ab una parte, veritate aliqua abunde semel demonstrata, ab altera tamen parte, difficultatibus aliquibus ortis, ex ignorantia forsan ipsarum rerum, vel ex earum inadæquata cognitione, non est profecto, quod propter ejus generis difficultates multum laboremus. Superius evidentissime demonstravimus, *aliquid exstitisse ab æterno;* omnes itaque objectiones adversus alicujus rei æternitatem inde veniunt, quod æternitatis conceptum plenum & distinctum non habeamus; quamobrem tales objectiones levissimæ habendæ sunt & nullius momenti. Exempli gratia, demonstrari poterit, aliquid necessario actu esse infinitum, sed multæ perplexitates inde fluunt, quod rerum finitarum mensuras ad res infinitas imprudenter & inepte applicare solemus, & quod temere supponimus, res finitas esse partes infinitarum, cum reapse non ita se habeant, sed potius quemadmodum punctum Mathematicum se habet ad qualitatem, nulla ad se invicem, proportione habita. Porro demonstrari potest, quantitatem divisibilem esse in infini-

finitum, objectiones vero contra motæ, ex comparatione *numerorum æqualitatis alicujus imaginaria* vel *inæqualitatis*, in partibus quantitatum inæqualium, quarum partes, re vera nullum prorsus adhibent *numerum*, pueriles merito & ineptas eas æstimamus. E. gr. si quis rogaverit, utrum partes quantitatum inæqualium numero pares sint necne, cum numerum absolute omnem natura sua respuunt, perinde est ac si rogasset, an duæ infinitæ lineæ longitudine sint æquales (i. e.) an simul & semul in uno puncto finiuntur necne, cum ambæ omnem finem plane respuant.

II. *Ens* aliquod *unum*, *immutabile*, *independens ab æterno existit.* Quoniam abunde constat, aliquod fuisse ab æterno, quemadmodum supra vidimus, inde sequitur, aut unum quid immutabile, & independens semper extitisse, a quo res omnes quæ sunt, fuere, vel futuræ sunt, suam mutuantur originem, aut infinitam successionem rerum mutabilium, & dependentium, a se invicem productarum progressum, sine ulla originis causa, necesse est ut ponas; quæ profecto hypothesis ita est indi-

indigesta & perabsurda, ut etiamsi huic soli innitatur Atheismus (quod infra docebitur) verum tamen quoad novimus, nullus ullo tempore exstitit Atheus, qui ejus hypotheseos defensionem in se suscipere ausus fuerit palam & ex proposito; quoniam sibi contradictoria sit & plane impossibilis. In præsentia non est animus, ex infinitæ successionis supposita impossibilitate absolute considerata, contra eam disputare, propter rationes infra memorandas, sed si intueamur hujus generis *progressum infinitum* ut unam integram rerum dependentium seriem infinitam, patet, integram hanc rerum seriem, nullam extra se posse habere causam suæ existentiæ, quoniam omnia quæ unquam in universo exstiterunt vel posthæc exstititura sunt, in illa *serie* comprehendi supponitur; patet quoque, intra vel in se, nullam habere existentiæ suæ rationnm, quia in hac infinita serie, nulla res ex se vel necessario existens ponitur, sed singula a sua antecedente dependens, & si nulla pars hujus seriei sit necessaria, constat satis neque totum posse esse necessarium; Absoluta etenim necessitas

tas existentiæ, non est externa quædam relativa & accidentalis tantummodo rei determinatio, sed rei existentis proprietas plane inseparabilis & essentialis. Infinita igitur rerum mere dependentium successio, sine ulla causa primaria vel independente, est ea rerum series, quæ neque intra neque extra se habet ullam causam, aut necessitatem suæ existentiæ, hoc est, mera impossibilitas & contradictio, vel si malueris, est supponere aliquid causari & effici (quia in nullo suæ successionis studio supponitur esse ex se necessarium) & integre tamen sumptum, a nihilo plane causari, quod quisque satis videt, quando in tempore tale quid fieri statueretur, contradictionem esse maximam; & quoniam in hoc casu, duratio nullam admittit differentiam, ita & æque est absurdum tale quid posse fieri ab æterno: & consequenter oportet ex contrario, aliquid *immutabile independens* necessario exstitisse; id quod mox demonstrabimus.

III. Res ista immutabilis independens, quæ ab æterno existitit sine ulla causa externa suæ existentiæ, per se, id est, neces-

 sario,

sario, existat quam maxime oportet; quoniam necesse est, ut omne id, quod existit, aut e nihilo in actum nullius causæ interventa transeat, aut agnoscat causam aliquam externam; aut denique, existat necessario & per se. Sed superius demonstravimus, aliquid in actum transire sine ulla interveniente causa esse impossibile & absurdissimum. Omnia vero nulla re plane excepta, etiam ab externa causa produci, est utique impossibile; sed ut aliquid ab æterno & independens sit necesse est, quod ostendimus quoque in superioribus; reliquum est, ut istud ens quod ab æterno independenter exstitit, *per se* necessario existat. Sed monendum in transitu, *existere per se* non denotat rem a seipsa produci, quod quidem implicaret contradictionem, sed denotat necessario existere ex ipsius rei natura; (clariorem hactenes conceptum alicujus rei per se existentis non habemus) Et hæc necessitas existendi, respectu nostri concipiendi modi, rei existenti præcedens putatur, non vero in tempore, quia & res ipsa est æterna, hoc est, hæc necessitas nonsequentia ex sup-

ſuppoſitione entis hujusmodi exiſtentiæ (quia tum non eſſet necnſſitas abſoluta, & hoc pacto exiſtentiæ rei nullius poſſet eſſe fundamentum, ſed ejusdem conſequens potius, ſed talem debes habere indolem, ut antecedenter in mentem noſtram vel nobis renitentibus, ſe intrudat. Etiamſi etenim vel maxime velimus ſupponere nullum eſſe in univerſo ens neceſſario exiſtens, nihilominus tamen (præter quod ſupra de neceſſitate alicujus entis ab æterno exiſtentis diſſeruimus) ideas qualescunque infinitatis & æternitatis vivide ſentimus. Quas ſi velimus ex animo eximere, affirmando, malum eſſe ens in univerſo, cui hæ proprietates neceſſario, ut in ſuo ſubjecto inhærent, contradictio erit manifeſtisſima; ſi quis enim immenſitatem & æternitatem e medio tollere conetur, removebit eodem ſane ſucceſſu, (ſi diis placet) rationem æqualitatis inter bis duo, & quatuor, ex hominum animo. Ex hactenus dictis ſequitur

I. Quod una & vera idea, entis neceſſario vel per ſe exiſtentis, ſit talis entis idea, *cujus non exiſtentiam vel ſemel ſup-*

ponere, implicat explicitam contradictionem. Quoniam impossibilitas est absolutissima, aliquid per se, & ex necessitate suæ naturæ non existere. Satis constat illam necessitatem non esse ex aliqua suppositione antecedente enatam (quia nihil potest rem per se existentem accedere, ne propria quidem voluntas, modo tali ut suæ existentiæ sit causa) sed absolute, talis necessitas natura sua esse debet, jam absoluta necessitas, sua natura talis, quæ nec relativa nec consequutiva nominari potest; nihil aliud est quam mera contradictio vel impossibilitas supponendi contrarium. Verbi gratia, relatio æqualitatis inter bis, duo & quatuor, est absoluta necessitas, quoniam manifesta esset contradictio, illos numeros supponere inæquales, hic est unicus conceptus quem habemus de absoluta necessitate, & si in alia significatione videatur accipi, nihil prorsus significat. Sed si quis forte quæsiverit, qualis est ista idea entis, cujus non existentiæ suppositio implicat contradictionem? respondetur, est omnium, quas formare possumus prima & simplicissima idea; & quam ab animo nostro (nisi

(nisi cogitare cessaverimus) nullo pacto removere possumus, sed ens simplicissimum æternum & infinitum mentis perceptioni jugiter exhibet. Ille enim qui nullum ens primario independens existere supponit, sibi contradicit ut supra ostendimus. Et ille qui supponit possibile esse, ut nullum ens æternum & infinitum in universo existat, iterum sibi contradicit, quod vel hinc patet (præterquam quod hæc duo attributa necessario fluant ex independenti existentia quod suo loco fusius) quod quantumvis contorqueat animum imaginando, nihil tale ab æterno existere; non potest tamen quin percipiat aliquid inane nihil (ut ita dicam) quod erit æternum & infinitum, id est removebis quantum in se est & æternitatem & immensitatem ex universo, non obstante tamen temerario hoc conatu, manet æternitas, manet immensitas in illo *nihilo*, quod supponit Atheus rerum omnium esse originem.

Cartesiani qui Ideam immensitatis, meræ materiæ ideam esse; hoc argumento ita premuntur, ut ad eam absurditatem confugerent, & affirment (si non expresse reapte

pte tamen)' materiam esse ens necessario existens citius quam immensitatis ideam e mente sua possent removere, utpote necessario existens & cum idea æternitatis inseparabiliter unitæ: quod quidem cartesianorum argumentum ineptissimum, probat quidem Immensitatis necessariam esse, & e mente humana immobilem, etiamsi ad materiam applicatum (quod illi faciunt) est absurdissimum, quia sine ulla contradictione possimus supponere materiam non existere.

Mais peut etre je raison maler (i. e.) male fortassis ratiotinor, concludendo proprietatem quæ inest ideæ mihi repræsentandi extensionem (i. e. sensu Cartesiano materiam) enasci ex extensione ipsa ut sua; quid enim impedit quominus credam, si non a me, saltem ab aliquo spiritu me nobiliore proveniat hæc proprietas, qui hanc extensionis Ideam in me produxit, etiamsi extensio ipsa nondum existat? Verum enim vero re melius trutinata, me solidissime disputasse percipio, & nullum spiritum quantumvis excellentem posse in me producere ideam extensionis, ut mihi extensio-

sionem potius quam ullam aliam rem, nisi extensio ipsa vere existat. Hoc enim si faceret in me quivis spiritus, sequeretur ideam extensionis quam habeo, non repræsentare extensionem, sed esset potius repræsentatio quod est impossibile, Nihilo secius fortassis fallor dum puto ideam extensionis quam habeo, objectum actu quoque existens supponere. Quoniam videtur me possidere Ideas nonnullas quæ nullum objectum supponunt, verb. gr. aurei montis est mihi idea, quamvis nihil tale quid existit; attamen cum ad examen severius rem revoco, discrimen hoc invenio inter ideam extensionis & illam montis aurei, quod illa naturalis & genuina, a mea voluntate independens supponit tale objectum, quale repræsentat, hæc autem artificialis est, quæ quidem supponit objectum, sed non est necessarium, ut objectum absolute tale sit quale ab idea repræsentatur, quia pro arbitrio voluntatis illi quid addere aut demere possum, quemadmodum antea monui, & postea in tractatu de idearum origine sum probaturus. Regis Lib. I. part. I. cap. 3.

II. Hinc sequitur, nullum esse hominem ratio-

ratione sua mediocriter utentem, qui non facile certiorem existentiæ alicujus causæ supremæ & independentis sese reddere possit, quam nullius alius rei, nisi existentiæ suæ. Nam quomodocunque sit res ardua, demonstrare hujus entis alia attributa reliqua, ut & in aliis veritatibus sæpius solet contingere; quod tamen attinet suam existentiam, aliquid scilicet existere ab æterno, quod infinitum est & natura sua necessarium origo & causa omnium rerum. Hæc certe est una ex primis & facilioribus conclusionibus quam homo sani sensus sibi formare poterit. Neque magis de ejus veritate fas est dubitare quam bis duo æqualia esse quatuor. Contingere quidem potest aliquando, propter incogitantiam homines nonnullos nunquam sibi formare hanc simplicissimam veritatem aliquid (puta) *esse æternum infinitum* & tamen ut contrarium concipiat esse verum, non magis usu venit, quam ut quis possit concipere bis duo plane non esse æquale quatuor, quapropter constanter ajo, neminem qui hominum vel mediocri intellectu præditum qui non certior esse potest existentiæ summi Independen-

den-

dentis & infiniti Numinis quam ullius præterea rei cujuscunque.

III. Et hinc observandum est, primam certitudinem, quam habemus de Existentia Dei, non inde oriri ex idea (vel si malueris ex definitione Dei) quam in mente formamus, utpote denotantem Ens infinite perfectum, *Existentiam necessariam* & *per se* includens, sed multo rectius hinc, nimirum quod & negative & positive possit demonstrari, scilicet omnia e nihilo nasci non posse, neque progressu infinito a se invicem dependere, & quod positive, in Universo aliquid detur extra nos existens, cujus Non Existentiæ suppositio prorsus manifestam implicet contradictionem. Argumentum tamen ex Idea in mente nostra desumptum, utpote in se existentiam necessariam comprehendens, non plane rejicimus ut inefficax, ad Existentiam Dei demonstrandam, fortassis enim accurrata & longa deductione inveniatur esse solidum; nihilominus propter ejus nimiam subtilitatem, cum non satis sit obvium & intellectui humano accommodatum, & ad Atheum convincendum nullo pacto efficiatur, quod vel inde

patet, quod viris doctis de Deo optime sentientibus, non potuerit hactenus satisfacere, sed laudatur ab his, culpatur ab illis, magnaque animorum dissentione scriptisque adversariis mire exagitatum fuit. Ejus obscuritas & defectus in eo potissimum latere videtur, quod ad *Ideam nominalem* aut *definitionem Entis per se existentis* præcipue se extendit, neque sufficienti evidentia, & consequentiarum valido satis nexu applicari judicamus, ad ideam realem istius entis actu extra nos existentis. Sed adhæc necesse est, ut rei ipsius ideam habeamus extra mentem reapse positæ, & videndum est, quo consistit hujus ideæ removendæ aut extirpandæ impossibilitas, & deinde vel ejusdem Non-Existentiæ suppositionem contradictionem esse, accurate demonstrandum est. Nuda Idea hujus propositionis datur *Ens per se existens*. Probat quidem rei possibilitatem, (quoniam rei impossibilis non formatur conceptus) sed quod actu & revera existit, ex nuda Idea non probatur, nisi adhæc, ex rei necessario existentis possibilitate sequatur quoque ejusdem actualis Existentia, quod in hoc casu, judicio multorum recte pro-

ce-

cedit, quod facile negari non poteſt, quia fatendum eſt in idea exiſtentiæ neceſſariæ eſſe aliquid inſolens & ſingulare, quoniam manifeſtum eſt, ſi Exiſtentia neceſſaria (eſt procul dubio) ſit perfectio poſſibilis, invicte pertinebit de facto & realiter, ad aliquod Ens omnimodis poſſibilibus perfectionibus præditum, quod ſi de facto ad tale Ens pertineat, erit prorſus impoſſibile, ut idem Ens non exiſtat, & hinc deduci videtur, tale Ens neceſſario exiſtere de facto: hoc quidem, inquimus, improbatu difficile eſt, ſed argumentatio melius procedet & diſtinctius, ſi demonſtremus, revera intra nos exiſtere. *Ens*, cujus exiſtentia eſt *neceſſaria* & *per ſe* ex manifeſta contradictione, quod contraria ſuppoſitio neceſſario poneret, quemadmodum ſupra oſtendimus, nec non ex impoſſibilitate diluendi nonnullas Ideas ex animo, etiamſi quam maxime velimus, æternitatis puta immenſitatis ejusque generis alia, quæ propterea neceſſario eſſe debent *Entis per ſe exiſtentis* proprietates, qui actu extitit; habeo enim rei ideam neceſſario exiſtentis, quam ne cogitando quidem a mente mea removere queam, magis quam ideam

ideam æqualitatis inter bis duo & quatuor. Certitudo itaque istius utpote eodem freta fundamento, nimirum quod illa æqualitatis ratio tolli non potest aut removeri sine manifesta contradictione. Ergo persuasissimi sumus Existentiæ Numinis supremæ & independentis, quia demonstrare proclive est & facillimum, aliquid existere in Universo, cujus Non-Existentiæ suppositio implicaret contradictionem.

IV. Et hinc fas est concludamus, mundum materialem nullo modo posse Ens illud primum increatum, per se existens, æternum & independens, quoniam, ut supra ostendimus, Ens æternum independens, nullam suæ Existentiæ causam agnoscens, necessario debet esse Ens per se existens; & quicquid existit per se, natura sua necessario opportet existat: inde deducimus, nisi mundus materialis indole sua necessario existat, ut contradictio esset, ejus Non-Existentiam supponere, nequaquam potest esse independens vel ex se æternus. Mundum autem materialem & spectabilem non existere necessario clarum est quam quod clarissimum, absoluta enim existendi necessi-

tas

tas & exiſtendi poſſibilitas, ſunt ideæ ſe invicem plane deſtruentes, & ſibi quam maxime contraria; hinc manifeſtum eſt, mundum materialem non poſſe neceſſario exiſtere, ſi poſſimus ſine ullo contradictionis periculo illum ſupponere non extitiſſe, aut ſaltem alio modo aut reſpectu exiſtere potuiſſe, quam illum, quo jam cum exiſtere cernimus; qua quidem ſuppoſitione nihil profecto facilius aut juſtius eſſe poteſt, nam ſive mundi formam cum motu & diſpoſitione partium, ſive ejus materiam, qua talem conſideravimus, nulla præſentis formæ ratione habita; quicquid in illo eſt, tum totum, cum partes ſingulæ, diſpoſitiones, motus, forma & materia ipſa, ſive ſimul ſive conjunctim ſumpſeris, res plane ſunt arbitrariæ, quam quod maxime, utpote ab omni neceſſitate remotiſſimæ. Convenientiæ neceſſitatem illis ineſſe fatemur, nimirum reſpectu commoditatis totius Univerſi, neceſſe eſt, ut res ſingulæ ſint quales & quemadmodum eas videmus, ſed nulla quidem veſtigia neque ſimulacra neceſſitatis abſolutæ (quam Atheus ſuſtinere debet,) percipiuntur. Si quis denuo inſtiterit,

terit, (Instabit Atheus absque dubio,) aut Universi formam, aut saltem materiam ejus & motum esse necessarios: sed quid quæso fingi poterit absurdius, vel si dixerit, formam particularem esse necessariam, simul incumbit & illi probare absonum quid esse & contradictorium, si supponatur, vel minimam mundi partem ullo respectu aliter posse esse, quam nunc est. Oportet expressa sit contradictio, plures vel pauciores supponere stellas vel planetas, vel earum magnitudinem, figuram, motum aliter esse, quam de præsenti sunt; aut pauciores vel plures plantas aut animalia, aut habere aliam magnitudinem aut figuram, quam habere solent. In hisce omnibus nullam aliam necessitatem conspicimus præter eam, quæ ad pulchritudinem & conservationem Universi attinet, de cæteris omnia quam maxime sunt arbitraria.

Si Atheus affirmaverit, motum omni materiæ in genere esse necessarium, sequitur, contradictionem esse expressam, supponere ullam materiam quiescere, quod sane ita est absonum, ut nullus Atheus, quoad hactenus novimus, sive sit antiquus sive

ex

ex recentioribus, id ſupponere fuerit auſus. Eſt quidem unus ex recentioribus, qui eo venit, ut ſuſciperet probare, motum i. e. conatum ad motionem, materiæ omni eſſe eſſentialem, ſed quam inſipienter vel hinc abunde patet: *Conatus eſſentialis* ad motum aliquarum aut unius cujusvis particulæ materiæ in *infinito pleno* imaginario hujus Autoris, debet eſſe conatus movendi ad unam viam determinatam vel ad omnes partes ſimul quaque verſus; conatus vero ad unam partem ſolummodo, materiæ nequaquam eſſe eſſentialis, cum illum a cauſa externa naſci oportet, quoniam nihil imaginari poteſt in materiæ natura, cur huc potius quam illuc moveatur; conatus autem ad omnes circumquaque partes ſimul, vel eſt quid contradictorium, aut ſaltem in materia nihil aliud producens, niſi quietem perpetuam, ſingulisque ejusdem partibus.

Sed pergendum eſt: Si Atheus poſuerit motum non omni ſed alicui materiæ eſſe eſſentialem, iterum reſpectu determinationis motus eadem naſcitur abſurditas, jam etenim ſupponit, neceſſitatem abſolutam non eſſe univerſalem, id eſt, vult, ut una ma-

materia quiescat; alteru vero sine culpa contradictionis nullo modo quiescere posse supponit. Quod si affirmaverit nudam materiam, quod si asseruerit Atheus, puram materiam esse necessariam, tum præter istam absurditatem, qua & motum & formam Universi casui fortuito tribuitur, (cui opinioni inconditæ fere omnes valedixerunt Athei, propterea nos quoque eam intactam præteribimus;) missis aliis argumentis bene multis, hoc uno demonstrabimus, materiam non esse rem æternam; Si materia sit illud Ens necessario existens, (quia esse unicum, suo loco infra ostendemus,) tum in ista necessaria existentia includitur vis gravitandi vel non includitur, si negaveris, tum in mundo mere materiali, cui nullus præesse supponitur intellectus, nullus unquam potuisset esse motus, quippe qui, quemadmodum ostendimus, natura sua minime necessarius; quod si forsan vim gravitationis in necessaria materiæ existentia includi dixerit; (quod quidem impossibile est, quia gravitatio concipi potest sine materia, & vice versa, materiam considerare possumus sine gravitatione,) tum includitur vel in necessa-

ria

ria exiſtentia omnis materiæ, vel alicujus ſolummodo, ſi poſterius, tum materia non conſtat partibus ſimilaribus, & conſequenter non eſt neceſſaria; in abſoluta enim neceſſitate nulla adhiberi poteſt varietas magis quam diverſi gradus: quod ſi gravitatio ſit proprietas univerſalis omnis materiæ, tum dabitur vacuum, (quod ſatis oſtenditur a Nobiliſſimo Neutonio) & ſi detur vacuum, tum materia non eſt Ens neceſſarium, quia poſſibile eſt, ut non exiſtat. Si ulterius regeſſerit Atheus dicendo: materiam poſſe eſſe neceſſariam, quamvis non neceſſario ubique exiſtat: reſpondeo, en contradictionem palpabilem, quia abſoluta ſemper tibi conſtat & ubique talis eſt, nam ſi non repugnat, ut materia ab uno loco abſit, quid quæſo obſtabit, quin ab alio, imo vero a ſingulis locis abeſſe poſſit, quia ex rei natura neutiquam eſt impoſſibile, quandoquidem de neceſſitate aliqua relativa & per conſequens in hoc argumento nullus eſt ſermo.

Spinoſa inter recentiores Atheos facile princeps, qui docuit, ſubſtantiarum nullam eſſe differentiam: *Una ſubſtantia non poteſt produci ab alia ſubſtantia*, Ethic. P. 1. Prop. 1.

Sed totum, ſingulasque mundi materialis partes, eſſe Ens neceſſario exiſtens, & præter Univerſum nullum alium eſſe Deum. *Omnis ſubſtantia eſt neceſſario infinita*, ibid. Prop. 8. *ad naturam ſubſtantiæ pertinet exiſtere*, ibid. Prop. 7. *præter Deum, nullam dari neque concipi poteſt ſubſtantia*, ibid. Prop. 14. Et ut commodius evitet abſurditates turmatim inde enaſcentes, in progreſſu ſermonis ambiguis phraſibus anxie niſus eſt occurrere iſtis argumentis, quibus aſſertionem ſuam refutandam bene animadvertebat: Primo enim poſuit totidem verbis, omnem ſubſtantiam eſſe neceſſario exiſtentem, *ad naturam ſubſtantiæ pertinet exiſtere*, Prop. 7. Poſtea id, quod affirmavit, ambiguis verbis revocare conatur, dicendo, rem ſingularem ideo neceſſario exiſtere, neque aliter, in ullo reſpectu, quam jam eſt, eſſe potuiſſe, *quia a divina manant eſſentia neceſſario. Res nulla alio modo nec alio ordine a Deo produci potuerunt, quam producti ſunt*, Prop. 33. *Ex neceſſitate divinæ infinita infinitis modis (hoc eſt omnia, quæ ſub intellectum infinitum cadere poſſunt) ſequi debent*, Prop. 16.

Qui-

Quibus si lector incautus, intelligat illum nihil aliud velle, quam quod res necessario sunt, quales actu existunt, quia Dei infinita bonitas & sapientia non potuit aliter res disponere, quam ut commoditati totius inserviretur, longe profecto sibi nimia fallit credulitas: talis enim necessitas est moralis tantummodo, & per consequentiam deducta, non vero naturalis, de qua est quæstio, sed Autoris intentio longe alio spectat. Insuper si lector intelligat, non aliud voluisse Spinosam, quam Deum non ex necessitate voluntatis suæ & sapientiæ determinatum fuisse ad omnia producenda eo ordine, quo actu existunt, sed potius ex necessitate naturæ suæ, omnem voluntatem & electionem excludente; neque hæc illius est intentio, quia hic sensus quamvis absurdissimus, supponit tamen, Deum esse substantiam a mundo materiali distinctam, quod ille supra expresse negat. Imo si quis adhæc existimet, illum voluisse dicere, omnes substantias in Universo divinæ essentiæ solummodo esse modificationes, neque hic quidem est hominis sensus, quia sic saltem ageret in seipsum modis diversis, prout vult,

ſed id ipſum expreſſe negat, *Deum non operari ex libertate voluntatis.* Prop. 32. Corol. 1. & Schol. ad. 17. Senſus itaque Spinoſæ genuinus hic eſt, (quantumvis obſcure ſæpius & de induſtria forte loquatur,) aut ſane nullus erit; ſcilicet res una ab alia produci non poteſt. *Una ſubſtantia non poteſt produci ab alia ſubſtantia.* Prop. 6. ita, ut & ipſo Deo eſſe impoſſibile, alias vel diverſo modo res produxiſſe, quam jam ſunt: *Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam producta.* Prop. 33. Quicquid exiſtit, oportet eſſentiæ divinæ ſit pars, non ut modificatio a voluntate, arbitrio vel ſapientia, in ea eſſentia cauſata, ſed ut in ſe abſolute neceſſarium, non ſolum reſpectu totius, ſed etiam reſpectu modi exiſtendi cujusque partis: *non alio modo neque ordine* &c. Senſu itaque Spinoſæ ſic rite explicato, hoc eſt, quod contendit, materialem mundum ſingulasque ejusdem partes, juxta cum modo & ordine cujusque partis, eſſe id unum & ſolum Ens neceſſario vel per ſe exiſtens; hoc poſito vel invitus agnoſcere debet, omnes illas conſequentias, quas antea oſtendi, neceſſario emanare ex iſta opinione;

nione; Necesse est itaque, si sibi constiterit, affirmare constanter esse cotradictionem, supponere rem quamcunque, vel modum, figuram, numerum vel rei ordinem alias potuisse, quam revera existunt. Cogitur affirmare, motum per se esse necessarium, & consequenter nullam rem quiescere, contradictionem esse in terminis aut affirmandum est illi (quod longe absurdius est, ut ex secundo capite generali hujus tractatus abunde patet, id quod ille tamen amplexus est, ut ex suis verbis manifestum est: *Corpus motum vel quiescens, ad motum vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatum fuit ab alio, & illud iterum ab alio, & sic in infinitum.* Part. II. Prop. 13. Lem. 3.) motum quatenus rem dependentem ab una materiæ particula cum altera fuisse communicatam per omnia secula seculorum, sine ulla causa sive interna sive externa suæ existentiæ, quæ quidem consequentiæ informes aliæque similes, ut sponte sua ex Spinosæ sententia fluunt, ita eam quoque destruunt, recensione solummodo ea est eorum absurditas; & per consequens

mundum integre sumptum esse unum illud Ens per se e necessario existens fallissimum esse demonstravimus.

Dum conatus fuerim ostendere, mundum materialem nullo modo posse esse illud primum originarium, increatum, independens & *per se existens*, Argumentum vulgo depromptum a rei ipsius impossibilitate, scil. infinita seculorum serie, mundum exstitisse, concilio prætermisimus propter insequentes rationes.

I. Quia inter nos & Atheos non est quæstio, an mundus possit esse æternus, sed utrum possit esse nec ne, *Ens istud primum originale independens per se existens*, quæ quidem quæstio toto cœlo est diversa, multi etenim, qui unum concesserunt, alterum constanter tamen negarunt; Omnes fere Philosophi antiqui, qui asseruerunt, mundum esse ab æterno, (& quorum autoritati temere & immerito innituntur Athei recentiores) ita sententiam suam defendunt, ut satis appareat, se nullo modo voluisse affirmare, mundum materialem esse Ens originale independens & per se existens, ut e medio removerent notionem atque existentiam

tiam supremæ mentis omnia sapientissime dirigentis, quod est, quam habemus, de Deo Idea. Ita ut Athei nostri temporis, qui Supremi Numinis negant existentiam, frustra antiquos Philosophos æternitatem mundi asserentes, in partes suas vocant: etenim mundi æternitas, quamvis ita esset vera, quam est falsissima, desperatissimæ causæ Atheorum, ne hilum prodesse poterit, omnes etenim Philosophi antiqui, inquam, qui mundi æternitatem posuerunt, non ideo fecerunt, ut inde concluderent, mundum esse Ens independens & per se existens, sed argumentationes huc spectabant imprimis, aut ut probent, simpliciter aliquid necessario esse ab æterno, & Universum non potuisse absolute ex nihilo sine ulla causa nasci, quod unum Ocellus Lucanus contendit, & huc redit omnis ejus argumentatio; aut quod mundus est effectum æternum & necessarium ab immutabili & essentiali energia divinæ naturæ promanans, quæ quidem sententia videtur placuisse Aristoteli; aut tertium mundum esse æternam atque voluntariam emanationem ex sapientissima & suprema causa, quæ opinio præter cæteras

Platonicis quamplurimis ariſit. Nulla harum opinionum ne minimam recentioribus Atheis opem afferre poterit. Quamvis enim opinio de æternitate mundi, ejusdem creationi in tempore e diametro eſt oppoſita, attamen quamdiu hujus ſententiæ vindices crediderint, eam non repugnare ſententiæ ſaniori, quæ ponit, mundum eſſe opus a mente æterna ſapientiſſima omnipotenti productum, aut ſe poſſe hanc ſententiam talibus argumentis, quæ nullo modo ſupponunt, mundum eſſe independentem aut neceſſario exiſtentem, ſed potius contrarium ſtatuunt; inepte igitur Antiquorum placitis freti, hujus temporis Athei intempeſtivos canunt triumphos.

Ocellus Lucanus, omnium, qui mundi æternitatem poſuerunt, antiquiſſimus, cujus autoritatem & vetuſtatem ipſi *Moiſi* opponere Athei non dubitant. Vide librum, cui titulus: *The Oracles of reaſon*, *Letter to Mr. Gildon* (i.e. Rationis oracula, Epiſtola ad Gildonium, pag. 216.) Super hac re disſerens, loquitur quidem non ſecus, ac ſi vere crediderit, mundum eſſe ex ſe exiſtentem. Ἀγέννητον τὸ πᾶν καὶ ἀνώλεθρον. Ἀναρ-

Ἄναρχον καὶ ἀτελεύτητον. κόσμος αὐτὸς ἐξ ἑαυτοῦ ἀΐδιος καὶ αὐτοτελὴς διαμένων τὸν πάντα αἰῶνα. Ἀεὶ ὄντος κόσμου, ἀναγκαῖον καὶ τὰ μέρη αὐτοῦ συνυπάρχειν. Λέγω δὲ μέρη, οὐρανὸν, γῆν &c. Ocellus Lucan. περὶ τῆς τοῦ παντὸς, (i.e.) *Mundum esse ingenerabilem, sine principio & sine fine; ex se æternum, perfectum & in perpetuum permanentem, insuper & omnes mundi partes, cælos & terram & necessario esse quoque æternas.* Sed cum sententiam suam rationibus stabiliturus, argumenta sua vel ita sunt incondita atque puerilia, ut hodiernos Atheos pudere debeat illorum meminisse, v.g. Τὸ ἄναρχον καὶ ἀτελεύτητον τοῦ σχήματος καὶ τῆς κινήσεως, πιστοῦται διότι [illegible]γένητος ὁ κόσμος καὶ ἄφθαρτος. Ἦτε γὰρ τοῦ σχήματος ἰδέα. Κύκλος οὗτος δὲ πάντοθεν ἴσος καὶ ὅμοιος, διόπερ ἄναρχος καὶ ἀτελεύτητος, ἥτε τῆς κινήσεως &c. ibid. (i.e.) *Imo figuram mundi atque motum esse sine principio & sine fine, unde manifestum est, mundum esse tum ingenerabilem, cum incorruptibilem, figura etenim sphærica est, & propterea utrinque æqualis, ideoque sine initio, sine fine, mo-*

tus quoque circularis est, *&c. Oracles of reason*, (i. e.) *Oraculum Rationis pag. 215.* Aut talia sunt argumenta, quæ solummodo probant, aliquid necessario existere ab æterno, quod nemo, quoad novimus, diffitetur; impossibile enim videtur, ut suo marte sine ulla causa e nihilo quid exsiliat, aut in nihil revertatur. Sic sonant sua verba: Ἀγέννητον τὸ πᾶν, ἐξ ὧ γὰρ γέγονεν, ἐκεῖνο πρῶτον τῶ παντός ἐστιν. —— Τόγε δὲ πᾶν γινόμενον, σὺν πᾶσι γίνεται, καὶ τῦτο γε δὲ ἀδύνατον —— ἐκτὸς γὰρ τῶ παντὸς ὐδέν. Ocell. Lucan. *Mundus debet esse æternus*, *quia contradictorium est*, *Universum habuisse initium*, *nam si habuisset initium*, *tum ab aliquo causatum fuisset*, *& consequenter non esset Universum.* Et hic compendio summam libri totius habes *Ocelli.* Unde patet, illum nullo modo asserere, materiam esse per se existentem, ut eo destruat *Intelligentiam* vel *Mentem*, sed hoc unum contendit, ut necesse esse ostendat, in Universo *Ens* aliquod *æternum* existere. Ea etenim, quæ de necessitate absoluta partium atque ordinis in Universo adducit, plane sunt (ut vidimus) ineptissima, & nullo

modo

modo probata; & in quibusdam locis hujus libri *Ocelli*, & in aliis ejus fragmentis, ille ipſe ſupponit, & fateri cogitur expreſſe, quod etiamſi neceſſitas omnium rerum in Univerſo ſtatuatur, nihilominus tamen iſta neceſſitas emanare debet ab æterna mente. Τὸ ἀκίνητον θεῖον μὲν καὶ λόγον ἔχον καὶ ἔμφρον. Ocell. Lucan. de leg. fragm. *Aliquid immobile divinum ratione utens.* Συνέχει τὸν κόσμον ἁρμονία, ταύτης δ' αἴτιος ὁ Θεός. ibid. *harmonia mundi eſſe Deum.* Τὰς δυνάμεις καὶ τὰ ὄργανα καὶ τὰς ὀρέξεις ὑπὸ Θεοῦ δεδομένας ἀνθρώποις, οὐχ ἡδονῆς ἕνεκα δεδόσθαι συμβέβηκεν, ἀλλὰ &c. Idem περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσεως, (i. e.) *Organa & ſenſus hominibus eſſe conceſſas a Deo, non propter voluptatem, ſed propter alios nobiliores fines.*

Ariſtoteles magnus quoque fuit mundi æternitatis aſſertor, ſed non ea mente, ut exiſtentiæ, potentiæ, ſapientiæ & bonitati Dei ſeſe opponeret, e contrario ideo hæc aſſeruit, quod crediderit, Deum utpote cauſam primam atque æternam, debere ex æquo habere effectum æternum quoque, puta Univerſum. Tantum enim abhorruit

ab

ab opinione eorum, qui ſupponunt, materiam eſſe originem & cauſam omnium rerum, ut e contrario paſſim pronunciet, Deum eſſe Ens intelligens incorporeum, primum motorem omnium, illum tamen immobilem; inſuper expreſſe affirmat, ſi nihil eſſet in Univerſo præter materiam, tum nullam fore cauſam primariam, ſed cauſarum progreſſum in infinitum, quod illo judice abſurdum eſt. Græce ſic habeto νῦς *Mens.* — Θεὸν ἀσώματον ἀπέφηνε, *Deum ſcil. eſſe immortalem*, Diogen. in vita Ariſtotelis. Τὸ πρῶτον κινῦν ἀκίνητον, *motorem eſſe immobilem.* Ariſtot. Metaphyſ. — εἰ μὴ ἔςαι παρὰ τὰ αἰσθητὰ ἄλλα, οὐκ ἔςαι ἀρχὴ καὶ τάξις, ἀλλ' ἀεὶ τῆς ἀρχῆς ἀρχή. ibid. *Si nil eſſet in mundo præter materiam ſenſibilem, tum nullus eſſet rerum ordo, ſed cauſarum progreſſus in infinitum*, quod abſurdum eſt.

Illos vero philoſophos quod attinet, qui expreſſe docuerunt materiam, non ſolummodo eſſe æternam, ſed etiam independentem, & per ſe exiſtentem, & cum Deo coexiſtentem independenter, ut ſecundum vel alterum *principium*; ſed materiam in nullo

nullo ſenſu per ſe poſſe exiſtentem, in hujus capitis ingreſſu docuimus. Et infra de Unitate Dei quando ſermonem habituri, de induſtria ſententiæ hujus falſitatem fuſius oſtendemus. Quicquid ſit de opinionibus Platonis de materiæ natura & origine, de Univerſi tamen formatione nihil illo diſtiuctius aut clarius eſſe poterit. Affirmat enim expreſſe fuiſſe compoſitum a Deo providentiſſimo, ſapientiſſimo, & inter omnes antiquos philoſophos, nullus eſt qui tam magnifice loquitur quam ipſe Plato de Natura Dei & Attributis. Ὁ ποιητὸς καὶ πατὴρ τοῦδε τοῦ παντὸς, *opifex & pater omnium.* Ὁ γῆν, οὐρανὸν καὶ θεοὺς καὶ πάντα τὰ ἐν οὐρανῷ καὶ τὰ ἐν ᾅδου, καὶ ὑπὸ τῆς γῆς ἅπαντα ἐργαζόμενος de Repub. Lib. 10. *Deus nimirum terram, cælum atque Deos & omnia quæ ſub terra & in infernis ſunt operans.* Tamen quod attinet tempus formationis mundi, videtur apud eum fuiſſe indefinitum, cum dicit πᾶσα ἀνάγκη τόν δε κόσμον, εἰκόνα τινὸς εἶναι, *neceſſe eſt ut Mundus alicujus ſit imago.* Plato in Timæo, quæ verba in noſtris codicibus ſatis ſunt imperfecta a *Cicerone* ita ſunt latine red-

reddita: *Si ergo generatus (est mundus) ad id effectus est, quod ratione sapientiaque comprehenditur, atque immutabili æternitate continetur. Ex quo efficitur, ut sit necesse hunc, quem cernimus mundum, simulachrum æternum esse alicujus æterni. Cicer. de Univers.*

Qui autem a Deo quidem factum fatentur, non tamen eam volunt *temporis* habere, *sed suæ creationis initium; ut modo quodam vix inttelligibili, semper sit factus. August. de Civit. Dei Lib. II. Cap. IV.*

De mundo, & de his quos in mundo deos a Deo factos scribit Plato, apertissime dicit eos esse cœpisse, & habere initium - - - verum id quomodo intelligant, invenerunt (Platonici) non esse hoc videlicet temporis sed substitutionis initium *ibid. Lib. 10. Cap. 31.* Sed mundum quidem fuisse semper, philosophia auctor est; conditore quidem Deo, sed non ex tempore, *Macrob. in Somn. Scip. Lib. 2. Cap. 10.*

Καὶ εἰ βούλει, παραδείγματι σέ τινι τῶν γνωρίμων ξυναγήσω πρὸς τὸ ζητούμενον φασὶ γὰρ ὅτι καθάπερ αἴτιον τὸ σῶμα τῆς ἑκάστου σκιᾶς γίνεται ὁμότιμος, οὕτω δὴ καὶ ὁ κόσμος

κόσμ⊙ παρακολέθημα ἐςι τε̃ θεε̃ αἰτίε ὄντ⊙ αὐτω̃ τε̃ εἶναι καὶ συν αἰδί⊙ ἐςι τῳ̃ ἐκέτι δὴ καὶ ὁμότιμ⊙, Zacharias *Scholaſt. diſput. ſenſus huc reddit, quod ſicut umbra coæva eſt corpori tamen dignitate inferior ita & mundus coæternus eſt Deo quamvis dignitate inferior. Sicut enim, inquiunt, (Platonici) ſi pes ex æternitate ſemper fuiſſet in pulvere, ſemper ei ſubeſſet veſtigium; quod tamen veſtigium a calcante factum nemo dubitaret; nec alterum altero prius eſſet, quamvis alterum ab altero factum eſſet : Sic*, inquiunt, *& mundus atque in illo dii creati, & ſemper fuerunt; ſemper exiſtente qui fecit ; & tamen facti ſunt. Auguſt. de Civit. Dei Lib.* 10. *Cap.* 31.

Platonis inquam aſſeclæ videntur ſic illum ſaltem intellexerunt, ut nullum definitum formationis mundi tempus ſtatuat ; ita ut Platonis creatio non denotet creationem in tempore, ſed ordine naturæ ſolummodo, cauſalitatis & dependentiæ, hoc eſt, cum voluntas & vis agendi in Deo ſit æterna non ſecus ac ejus eſſentia, effecta voluntatis iſtius & potentiæ, ſimiliter voluntati & potentiæ, coætaneæ & duratio-

ne

ne commenſurabilia jura ſupponuntur, quemadmodum ſi ſol æternus, & lux quoque eſſet æterna, & ſi corpus opacum esſet æternum & umbra ejus quoque æterna foret, & impreſſio ſigilli correſponderet ſigillo, ſi horum effectorum cauſæ ſupponantur eſſe æternæ.

Ex quibus manifeſtum eſt temere & fruſtra Atheos hujus temporis gloriari de authoritate Antiquorum de æternitate Univerſi, poſito enim caſu eam opinionem eſſe veram (ut eſt falſiſſima) nihil inde proventus noſtris adverſariis, antiqui quippe Philoſophi nuſquam (quod faciunt recentiores) negarunt eſſe cauſam intelligentiſſimam & ſapientiſſimam in Univerſo, multo minus, ejus loco, brutam & materiam in artem, ut cauſam omnium rerum poſuiſſe inveniuntur.

II. Altera ratio, quare probando mundum materialem non poſſe eſſe cauſam primam increatam, independentem & per ſe exiſtentem, argumentum vulgo petitum ab abſurditate & impoſſibilitate progreſſus cauſarum in infinitum plane negleximus, hæc eſt; illum etenim argumentum, quantum-

tumvis in ſe veriſſimum, nunquam tamen urgeri poterit usque eo ut convincantur & eo afficiantur Athei, quos nequaquam dociles & animo diſpoſitos in hanc paleſtram deſcendere ſupponimus, impii, quippe, qui Scholaſticorum diſtinctionibus tantum tribuentes quantum eſt minimum, poſſibilitatem æternitatis mundi nunquam poſſumus ita refutare, quin Atheus retorſerit Argumentum contra cujuscunque entis æterni poſſibilitatem, & conſequenter argumentum eſſe plane nullum, ſed difficultatem eſſe tantummodo ex noſtra inadæquata & obſcura idea quam de æternitate formamus. Mundum autem non eſſe ens neceſſario vel per ſe exiſtens, ſed ab alio Ente ſapientisſimo & intelligentiſſimo productum, ſola ratione evidentiſſime poteſt demonſtrari (ut ſupra oſtendimus) adverſus pervetſiſſimos quosque Atheos, ſed tempus quod attinet, *quando* vel in tempore ſtricte loqnendo fuit creatus, ſola ratione difficile eſt probata; (ut videre eſt ex Antiquorum ſenſibus ſuper hac quæſtione) ſed revelatione probandum eſt. Probare enim ſi quis ſuſtinuerit, non poſſe da-

ri *tempus* aut *ſpatium infinitum* ex impoſſibilitate partium finitarum additionis *infinitum* usque & usque componentium, aut exhaurentium, aut ex imaginaria annorum, dierum & horarum inæqualitate quæ continerentur in uno, milliarium, vero ulnarum atque pedum in altero (in ſpatio puta) nihil aliud eſt quam ſupponere infinita, ex numero finitorum eſſe compoſita, id eſt, ſupponere quantitates finitas eſſe infinitorum partes aliquotas & conſtituentes, cum revera res longe alias ſe habeat, cum reſpectu *infiniti* plane eandem habeant proportionem (ſive parvæ ſint ſive magnæ, plures vel pauciores) quam punctum mathematicum tenet ad lineam, vel lineam ad ſuperficiem, aut momenta reſpectu temporis, hoc eſt, proportionem prorſus nullam. Ita ut ſi quis diſputaverit contra poſſibilitatem abſolutam *ſpatii* aut *temporis infiniti* mere ex eorum ſuppoſititia inæqualitate numerorum partium ſuarum, quippe qui non ſunt *infiniti* partes conſtituentes, ſed proportione habita merum nihil; idem eſt ac ſi diſputet contra cujuslibet *finiti* exiſtentiam ex numeris inæqualibus

bus punctorum mathematicorum vel linearum quæ in eodem continentur, cum proprie nullos habeat in se numeros, sed numerum indole sua plane respuat. Similiter, nulli prorsus numeri, nullæ quantitates possunt esse partes constituentes aut aliquotæ *infiniti*, neque respectu hujus ullam habere proportionem aut ullo modo cum illo nisi temere compari possunt & consequenter argumenta hinc petita sunt minus solida.

IV. Entis per se & necessario existentis substantia aut essentia nobis plane lubet, neqne ejus possibile est habere adæquatam ideam. Talem substantiam extra nos existere certum est (quod supra demonstravimus) insuper novimus negative, quid non est, scilicet, id non esse mundum materialem (quod affirmant Athei nostri temporis) superius quoque ostendimus: sed quoad substantiam suam vel essentiam quid est, nos fatemur ingenue, hoc captum humanum soperare neque ullo modo comprehendi posse, quod tamen ne minimum debilitat existentiæ ejusdem certitudinem ante demonstratam. Quia nosse aliquid exi-

 stere,

ſtere, & ejusdem exiſtentiam penitus dignoſcere longe inter ſe diſcrepant, unum demonſtrari poteſt evidenter, cum iterum omnem tranſcendat intellectum noſtrum. Majore jure perfecto exiſtentiam laminis aut ſonorum cœci aut ſurdi, quam Dei exiſtentiam ulli Athei negare poſſint; quippe illi teſtimonio alieno fidem habeant neceſſe eſt, cum illis a natura negatum ſit harum rerum ideas ſibi comparare, non modo exiſtentiæ, ſed proprietatum & effectorum multorum rerum conceptum plane habeant nullum; Athei vero ſua ratione exiſtentiæ Summi Numinis ſe certiores reddere poſſint inviciisſimis argumentis; eademque facilitate quamplurimus ejus proprietates ſibi cognitas poſſunt acquirere (quod inferius docebimus) manente tamen ejusdem eſſentia nobis plane intelligibili, Quamobrem nihil plane inſolentius aut abſurdius eſſe poteſt, ſi quis Atheus exiſtentiam Summi Numinis negaverit ea de cauſa potiſſimum, quod mente ſua debili & infirma nullum conceptum vel ideam eſſentiæ divinæ, vel cauſæ primæ formare poſſit. Rerum profecto omnium & nobis maxi-

maxime familiarium, essentia tamen eorum vel substantia nobis utique latent, etiamsi alias putemus illas nobis abunde & satis esse cognitas. Imo nulla plantula aut animalculum, quantumvis vile sit & humile, quam perspicacissima omnium ingenia percellat & confundat, adhæc rerum quoque inanimatarum maxime simplicium, essentia aut substantia in obscuritatis abysso positæ aciem mentis nostræ plane fugiant. Quid itaque quæso ineptius objectiunculis contra Dei existentiam formatis, potissimum propter suæ essentiæ incomprehensibilitatem, aut quid temerarius esse poterit, quam in dubium revocare substantiæ alicujus incorporeæ existentiam, non alia de causa quam quod ejusdem substantia a nobis capi non possit, cum neque insolens quid neque absurdum existimetur existere objecta bene multa, sensibus & scrutinio quotidiano opprime obvia quorum essentia tamen manet incognita.

Ex hactenus traditis licet deducere, I. *Illorum ineptiam qui sibi fingere non verentur, spatium infinitum adæquatam esse ideam causæ primæ & supremæ.* Hæc profecto

fecto futilis est & inepta cogitatio inde enascens, quod sensibus nostris plus justo tribuimus, falso imaginantes *res spirituales* utpote sensibus minime obvias non entia esse vel plane nihil, quemadmodum de aëre pueri judicare solent, sensibus quippe parum obvio illum innane quid & præterea nihil esse credunt. Sed hæc nimis absurda ut illis inhæreamus, cum res pene infinitæ aliæ existunt, quarum essentia nobis ita est incognita, quam cœco colores aut soni surdo sunt intelligibiles; Imo nulla existit substantia quæ nobis est cognita, solummodo hujus proprietates plures, illius autem pauciores habemus perceptas. *Spatium infinitum* nihil aliud est, quam *immensitatis* abstracta aliqua idea, quemadmodum infinita duratio est idea abstracta æternitatis; neque quicquam puto absurdius, si quis dixerit, æternitatem esse essentiam primæ causæ, quam qui affirmat immensitatem talem esse, cum ambo nihil aliud esse videntur quam essentiæ incomprefieusibilis attributa. Idem usu venit quando cujusvis rei aliæ essentiam comprehendete cupimus, propter ingenii infirmitatem in maximas protrudimur absurdidates.

II.

II. Patet hinc quoque Scholasticorum puerilitas, qui quemadmodum in omnibus, ita & de Dei Existentia, heu quot sesquipedolia verba, terminos artis obscurissimos, distinctiones fine differentia & sine fundamento excogitatas, sub prætextu rei dilucidius temere explicandæ temere obtrudunt! quæquidem obscuræ voces diligentius expensæ, nullam significationem aut ideam certam secum adferunt, v. gr. Deus est *purus actus*, *mera forma*, & ejus generis alia, aut denotant Divinæ potentiæ aliorumque attributorum perfectionem aut nihil plane significant, Scholastici tamen his formulis, quid aliud intelligunt quod illi ipsi parum concipiunt,

III. *Etiamsi essentia aut substantia Entis per se existentis, plane sit incomprehensibilis, attributa tamen ejus juxta cum sua existentia demonstrabilia sunt.* Et ante omnia se sistit æternitas, quæ cum ente necessario existente ingenti vinculo & ita stricto connectitur, adeo ut necesse sit aliquod independens existere, quia opus est ut aliquid sit æternum & vice versa, ponunt enim se invicem & tollunt: per se exi-

ſtere quid aliud eſt, quam neceſſitate abſo-luta, & ſua natura exiſtere, jam hæc ne-ceſſitas, cum ſit abſoluta a nulla cauſa extra ſe dependente, ſemper eadem immutabilis eſſe debet, nihil enim mutabile, niſi quod ab alio quodam afficitur extrinſecus. Ens itaque neceſſario exiſtens, nullam cauſam exteriorem agnoſcens, ſed ſua natura exiſtit, neceſſe eſt ut ab æterno & in æternum ſi-ne fine exiſtat. Modum quod attinet exi-ſtentiæ æternæ, manifeſte patet, omnium facultatem longe tranſcendere, quippe quæ multa præſentia neceſſario ignorat, multo magis præterita & futura; cogitationes et-enim noſtræ & facultates, gradus & perio-dos ſuas habeant neceſſe eſt, inſuper trans-ientes & ſucceſſivæ ſunt rebus iſtis ſimilli-mæ, e contrario cauſa ſuprema (poſito eſſe ens intelligens, quod inferius proba-bimus) neceſſario eſt immobilis indepen-dens, omnia cernens perſpicue, ita ut nul-lum durationis ſuæ æternæ ſit momentum, quo omnia præſentia præterita & futura non habeat penitus perſpecta, uno divinæ men-tis ſuæ ictu vel intuitu, omnia quoque po-tentiæ atque directioni ſuæ obnoxia, ac ſi

ſimul

ſimul atque ſiſterentur coram, nullaque esſet rerum ſucceſſio. Hæc hactenus intelligibilia ſunt, & ita evidenter de æterna duratione diſputata, ut nullus Atheus pro impoſſibilibus aut abſurdis ea ſibilare poſſit; uno verbo, æterna duratio *eſt interminabilis vita tota ſimul & perfecta poſſeſſio*, gravioribus verbis aut magis Emphaticis uti, ſane non novimus.

Alli putarunt modum exiſtentiæ æternæ a modo exiſtendi a rebus creatis, ſic poſſe commodiſſime diſcerni, hæc nimirum, *continuata & tranſiens ſucceſſio durationis*, illa vero *punctum* eſt vel inſtans æternitatem in ſe complectens, quo omnia ſunt præſentia; Sed hæc diſtinctio utpote rei noſtræ nihil conferens, illam intactam præſentibus. Nam etſi eſſet veriſſima, tamen arduus eſt labor eam ita urgere & explicare ad plenam convictionem. Præterea quemadmodum Scholaſtici eam defendunt mordicus, ita pari modo a viris doctis non infimi ſubſellii, doctrina & virtute nulli ſecundis, plane rejicitur. Crucem ingenio figere & rem capiat fugientem captum --- *tam fieri non poteſt ut inſtans (temporis)*

coëxistat rei successiva quam impossibile est punctum coëxistere soëxistendi linea --- -- Lusus merus non intellectorum verborum Gassend. Physic. Lib. I. Non vobis obstrepam „cum Scholasticis notionibus inter se pa- „rum cohærentibus & minime intellectis de „æternitate Dei, quam ita illi definiunt; „Duratio tota simul in qua nulla successio „concipienda venit, sed in instante imagi- „nanda. Eodem profecto jure & immen- „sitatem Dei punctum esse dicamus quam „ejus æternitatem esse instans ---- & quo- „modo id potest esse simul quod successio- „ni coëxistere necessario opportet, qni hæc „capere potest licet capiat Tillobson. Vol. „7. Serm. 13. idiomate Anglicano.

Alii dicunt Deum noscere futura præ- „sentialitate & coëxistentia omnium rerum „in æternitate, dicunt enim futura actu „præsentia esse & existentia coram Deo, „quamvis non in Mensura propria, tamen „in Mensura aliena, multa hujus furfuris „alia apud Scholasticos, neque ulli hujus „linguæ barbaræ notitiam equidem invide- „bo, mihi profecto videatur esse verba ina- „nia nihil significantia, ab hominibus nau-

cis

eis & otiosis excogitata, quos & alii ne" mediocriter videantur docti jugiter se " quuntur & opprime ea intelligere volunt" sed miror valde post tot ingenii proprii" & alieni cruciatus cum vocibus non intel-" lectis, explanationis titulo audeant insi-" gnire forraginem, Archiepiscop. Tillot-" son. Vol. 6. Serm. 6.

VI. Ens per se existens, necessario infinitum esse debet & omnipræsens, infinitatis itidem idea, cum ea existentiæ per se, indissolubili cruciuntur nexu; quia necessario oportet dari aliquid infinitum, oportet quoque ut idem sit per se existens (alioquin nullum daretur infinitum nisi posueris effectum nobilius esse sua causa) & vice versa. Per se existere, est natura sua necessario & absolute existere (quod supra) cum hæc itaque necessitas sit absoluta & a nulla causa externa dependens, inde manifestum est, ut necessario tam ubique, quam semper immutabilis eadem existat. Ea necessitas enim quæ sine ulla exceptione loci aut temporis non est constanter eadem, solummodo est necessitas per consequentiam, ab aliqua causa externa dependens, non

non vero absoluta & natura sua talis, quæ neque ad tempus, neque ad locum quicquid habere intelligitur relationis, vel ad ullum aliquid aliud: ideoque quemadmodum æternum ita & infinitum oportet esse quicquid *per se existit.* Supponere Ens finitum per se existere, est supponere contradictorium esse, illum ens non existere, cujus absentia tamen commodissime concipi potest sine ullo contradictionis periculo, quoniam si ab uno loco ens aliquid sine ulla culpa contradictionis abfuerit, ab alio loco simpliciter abesse poterit. Et quicquid de necessitate suæ existentiæ differueris, ea sane necessitas ex aliqua causa externa oriri debet, & non ex se, & sua natura. Et per consequens tale ens non est per se existens.

Porro & hinc sequitur. Quod infinitas Entis per se existentis, debet esse tam plenitudinis, quam immensitatis, hoc est, non solummodo *infinitas* sine terminis, sed insuper sine diversitate defectu aut interruptione qualicunque. Ex. gr. si largiamur materiam esse sine ullis limitibus diffusam, vel interminabilem, non inde tamen seque.

queretur, eandem proprie & perfecte infinitam, quoniam, quantumvis sit sine terminis ullis in diffusione sui, nihilominus tamen, intra hiatibus aut vacuitatibus laborare potest. Sed quod per se existit in omni loco, æque necessario existat oportet, & per consequentiam oportet habeat infinitatem proprie dictam atque perfectissimam tam *plenitudinis* tam *immensitatis*.

II. Insuper & hinc sequitur Ens *per se existens*, necessario debere esse simplicissimum, immutabile, incorruptibile, partibus, figura, motu, divisibilitate expers, omnibus ejus generis proprietatibus materiæ plane destitutum. Hæ enim omnes affectiones, finitatem implicant, & cum infinitate inconsistentes; divisibilitas est partium separatio realis, aut mentalis, (per mentalem intelligimus, non tantam apprehensionem partialem, sed etiam partium separationem a se invicem, & disjunctionem interventa imaginationis) & omnis hujusmodi mentalis separatio aut remotio partium a se invicem, est revera, aut mente tenus saltem, limitem alicui figere; utrumvis horum ideam infinitatis prorsus destruit. Idem dictum

dictum puta de motu. Et certe diversæ partes, proprie loquendo, aut denotat differentiam & diversitatem existentiæ, quæ necessitati absolutæ adversantur maxime, aut saltem divisibilitatem realem vel mentalem significant, quæ cum *infinitate* proprie sic dicta sunt incompatibiles. Corruptio, mutatio, aut quaqualis alteratio, motionem vel separationem partium & finitatem indicant; Et qualiscunque autem compositio perfectæ simplicitati opposita, differentiam & diversitatem in modo existendi denotat, quæ omnes cum necessitate plane pugnant.

Patet igitur Ens per se existens, strictissimo & in sensu maxime proprio infinitum esse debeat, ut distinguatur & opponatur modo existendi rerum finitarum, quæ nonnisi in uno loco semel adesse possunt, nobis equidem latet, neque possumus id magis explicare, quam infinitatis adæquatam ideam nobis formare. Nihilosecius Ens infinitum ubique esse præsens, verum est, quam quod verissimum, quod nemo sapiens unquam negaverit, magis quam dari actu Ens aliquod infinitum existens. Scholastici quidem asseruerunt, Dei immensitatem esse

esse *punctum*, quemadmodum suam æternitatem esse *instans*; sed cum hæc perplexa sint & non intelligibilia, missa ea facimus in præsentia, Sed hoc possumus affirmare, quod quidem cuique sapienti atque bono debet sufficere, & quod nullus Atheus jure possit respuere; scilicet quod res creatæ omnes, simul & semel, nonnisi in uno loco definito adesse possunt, & res corporeæ equidem & in uno loco, potentiæ & activitatis ratione habita, imperfecte admodum adsunt, successivo puta motu diversarum partium, membrorum & organorum suorum. Contra causa prima quippe quæ simplicissima, omniaque in se comprehendens modo perfectissimo, omni tempore cuique interminatæ immensitatis punctulo præsens est, tum essentia sua simplicissima, tum exercitio omnium suorum attributorum, non secus ac si *Immensitas* ipsa non esse nisi punctum.

VII. *Ens per se existens oporte necessario esse unum;* hoc sequitur ex existentia necessaria: necessitas enim simplicissima est & uniformis, sine ulla possibili diversitate aut varietate, omnis quippe varietas ab

aliqua

aliqua causa externa nascitur, a qua necessario quoque dependet. Suppositio enim duarum naturarum pluriumve per se necessario existentium & a se invicem plane independentium, hanc cuique obviam implicat contradictionem, nimirum cum harum naturarum unaquæque ab alia independenter existere supponitur, illa alia vel aliæ causæ Sociæ, sine ulla contradictione, non existere comodissime supponi possunt, & consequenter nulla earum necessario existit. Quicquid ergo necessario existit, est ea una essentia Entis per se existentis: & quicquid ab ea differt, non existit *necessario*; quia in necessitate absoluta nulla datur existentiæ diversitas. Infinitæ res aliæ præter hanc existere possunt, sed nulla alia *per se* & *necessario* potest existere, quia hoc pacto cum ea idem esset individuum, cum tamen existimatur ab ea esse diversa.

Et hinc iterum concludendum est,

1. Unitatem Dei esse unitatem naturæ vel essentiæ, quoniam, ut perspicuitati studeamus, de ea solummodo volumus, præsens sermo passim intelligatur: quod ad personarum diversitatem in ea essentia attinet, nimi-

nimirum, num in unitate essentiæ divinæ, possint coëxistere cum causa prima vel suprema, tales emanationes æqualiter æternæ, infinitæ & perfectæ, participatione absoluta omnium divinorum attributorum, gradu infinito & perfectissimo, *prima originatione* sui solummodo excepta, quam cum nulla communicat; de his certe ex ratione nihil producere possumus ad easdem stabiliendas, neque ad has veritates infirmandas, ratio, nulla suppeditabit argumenta, demonstrando rei impossibilitatem; & cum accesserit revelatio, habemus, quo nobis satisfaciamus, & illis adhibeamus fidem.

Porro

2. Sequitur ex dictis impossibilitas *duorum principiorum* differentium per se & necessario existentium, *bonorum* puta & *malorum*, secundum placita aliquorum Philosophorum. Quandoquidem enim *existentia per se* est *necessaria*, & contradictio est maxima, duas naturas diversas dari, quarum singula existeret per se *necessario*, (quod vide supra) hinc subito apparet bini principii boni & mali magna absurditas.

3. Observemus insuper stultitiam & vanita-

nitatem Spinosæ, qui, cum natura per se existens necessario debet esse una, inde præpostere deducit, totum *Universum* & singula in eo contenta, esse unam, uniformem, necessariam & increatam substantiam *Una substantia non producit alteram.* Eth. P. I. Prop. 7. *Præter Deum nulla dari neque concipi potest substantia.* Prop. 14. Cum contra concludere debuisset, nimirum, quoniam in Universo omnia inveniri a se invicem diversa, & præ se ferentia signa arbitrii & mutationis manifestissima, (sed necessitatis plane nulla) diversis insuper facultatibus ad diversos fines obtinendos instructa, nulla harum rerum consequenter per se necessario existere potuisse, sed ab aliqua causa externa, id est, ab Ente aliquo per se necessario existente omnino dependere. Quod in hunc crassum errorem & perniciosum duxit hominem, cui omnes ejus cogitationes innituntur, est ista absurdissima substantiæ definitio. *Per substantiam intelligo id, quod in se est, & per se concipitur, hoc est, id cujus conceptus, non indiget conceptu alterius rei, a quo formare debeat. Defintio 3.* Et paulo post: *Ad naturam substantiæ pertinet*

tinet existere, hoc est, ipsius essentia involvit necessario existentiam. Ethic. Part. I. Prop. 7. Quæ definitio falsissima est, aut nihil prorsus significans, & tum cadit tota moles huic innixa, aut si esset vera, tum neque materia neque spiritus neque ulla alia res finita qualiscunque in eo sensu esset substantia, (quod antea docuimus) sed solum ὁ ὢν, Ens scilicet per se existens, & sic non obstante tanto demonstrationum apparatu, illius scopo nihil omnino inserviet, qui huc nimirum redit, ut demonstret, in Universo nullam esse potentiam aut libertatem, sed singula quicquid ea sunt, esse necessitate absoluta. *Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam producta sunt.* Prop. 33. Supponamus, inquam, suam definitionem substantiæ esse veram, suo tamen præcipuo scopo, nequaquam succurreret, ad ponendam puta omnium rerum fatalem & absolutam necessitatem; Quoniam ex hac definitione, neque materia neque spiritus neque quicquam finitum essent substantiæ, sed modi tantum. Quomodo quæso exinde, quod substantia sit Ens per se existens, sequitur, & ejusdem modos

esse per se existentes? *Ex necessitate*, inquit, *divinæ naturæ infinita infinitis modis (hoc est, omnia, quæ sub intellectum infinitum cadere possunt) sequi debent*. Prop.16. Recte quidem, posito, causam infinitam per se existentem, non esse voluntariam, sed ex mera necessitate agentem, vel potius ab alio actum; quæ suppositio in quæstione præsenti est petere principium, & quod attinet ea a Spinosa allata ad suam opinionem confirmandam, examinanda venient in sequentibus.

VIII. *Ens per se existens, vel causa prima omnium rerum, debet necessario esse Ens intelligens vel mente utens*. In hac propositione cardo quæstionis inter nos & Atheos agitatæ merito ponitur; aliiquidem enim necessario existere, idemque esse æternum, infinitum, causamque omnium rerum & originem non ita magnopere controvertitur, Athei enim, sive asserant, mundum ex se æternum esse, tum ratione formæ, tum ratione materiæ; sive ponant, materiam solam esse necessariam, formam vero contingentem, vel quamcunque aliam hypothesin sibi fingant, fateri debent necessario

dire-

directe aut saltem indirecte, Ens illud per se existens non esse intelligens, sed materiam pure inertem aut (quod aliis verbis tantundem valet) agentem mere necessariam, quod quidem agens in sensu magis proprio omni sensu carere supponitur, quemadmodum vetustiores, Ens per se existens conceperunt, aut ejus intelligentia ab omni arbitrio & voluntate, vel facultate eligendi, respuendi, debet esse separatissima, secundum Spinosam, quod profecto excellentiæ & perfectius ullius ratione habita, in eodem redit, & cum vetustorum Atheorum opinione quam optime convenit, modo clarius & distinctius loqui velint.

Ens autem per se existens sensu stricto & maxime proprio, esse intellectum agentem, a priori quidem non potest demonstrari, quoniam non satis percipimus, in quo consistit intelligentia, nec satis videmus, immediatum & necessarium quem nexum, cum existentia per se, quemadmodum cernimus, cum ea necessario necti æternitatem, infinitatem, unitatem &c. Sed a posteriore, tantum non res quælibet, in hoc mundo spectabili, invicta nobis argumenta

ſuppeditant, ad hanc magnam veritatem, extra omnem controverſiæ aleam dilucide ponendam.

I. Quandoquidem ſatis conſtat, in genere ineſſe rebus, facultates longe diverſiſſimas, atque excellentias variosque perfectionis gradus; oportet certe reſpectu ordinis cauſarum & effectorum, ut cauſa ſit prior ſuo effecto, atque eodem excellentior; & conſequenter cauſa per ſe exiſtens (cujuscunque ſupponatur eſſe indolis) utpote omnium rerum origo, in ſe continere debet neceſſario, ſummum & ſupremum perfectionis gradum, quam in aliis rebus cernimus. Non quod *Ens exiſtens per ſe* ideo omnes quascunque perfectiones in ſe habere neceſſe ſit, (quod quidem, etſi veriſſimum ſit, tamen non ita clare a priori demonſtrari poterit) ſed potius propterea, quod impoſſibile ſit, ut ſit perfectio in effecto, quæ non fuit antea in cauſa: nam ſi eam habeat, ea perfectio a nihilo produceretur, quod contradictorium eſt. Ens autem intellectu deſtitutum omnibus perfectionibus non eſſe præditum, manifeſtiſſimum eſt; Ergo omnia in univerſo a cauſa non intel-
ligenti

ligenti enaſci non poſſunt, quapropter *Ens per ſe exiſtens* neceſſario eſt intelligens.

Vim hujus argumenti, nullo alio modo poſſibili, Atheus quiſpiam evitare poterit, niſi aut affirmando nullam prorſus dari in Univerſo rem intellectu præditam, aut aſſerendo ipſam intelligentiam vel *τὸ intelligere* nullam eſſe perfectionem ſeparatam & diſtinctam, ſed compoſitionem eſſe meram ex figura & motu ortam, quemadmodum colores atque ſoni eſſe exiſtimantur. Primam quod attinet Atheorum poſitionem, ſua cujusque conſcientia eam ſatis & abunde refellit & refutat. Alteram vero quod attinet, cui potiſſimum inhærent Athei, abſurdam eſſe & impoſſibilem, inferius docebimus, imo, vel ſi largiamur eam eſſe veram, nihilominus tamen, eadem ſuppoſitione ſequeretur, *Ens exiſtens per ſe* eſſe intelligens & mente præditum, quod in quarto hujus Sectionis argumento probabitur. Intermedio tempore *τὸ intelligere* vel ipſam rationem perfectionem eſſe, & id negare eſſe abſurdiſſimum, vel hoc argumento probabimus.

II. Quandoquidem in homine potissimum inest ista facultas, vulgo vocata cogigitatio, intelligentia, conscientia sui, perceptio vel cognitio, quod sane salva fronte & ratione non possit: Sequitur inde necessario, aut hominum infinitam successionem esse ab æterno sine ulla causa prima vel originaria, quorum nullus habeat existentiam necessariam, sed omnino precariam & dependentem; aut dicendum est, ea Entia perceptione & cognitione prædita, aliquando orta fuisse, ex eo, quod neque perceptione nec conscientia, vel ulla alia hujusmodi qualitate erat instructum, aut certe ab aliquo ente intelligente producta sunt. Omnes Athei qui sunt, fuerunt vel futuri sunt, coguntnr agnoscere, unam ex triplici nostra suppositione esse veram, duæ priores igitur si demonstrentur esse falsissimæ & impossibilia, Tertia vera erit necessario. Primam esse falsam, colligitur ex dictis in secunda parte hujus capitis generalis, alteram vero esse falsam, ita demonstratur, si perceptio vel intelligentia, qualitas sit distincta, vel perfectio separata, & non compositionem aliquam, & effectum & motus, qui

qui nullla tali qualitate pollent. Sequitur, res intelligentes & sibi conscias ex re bruta nulla tali proprietate nullo modo oriri posse, quia nihil perfectionem aliis dare potest, quam non actu aut virtute & eminenter, sed perceptio vel τὸ intelligere qualitas est distincta & non motus & figurarum productio. Primo, *si perceptio aut intelligentia realis & distincta qualitas aut perfectio & non mera compositio ex figuris & motibus orta, tum res perceptione & conscientia prædita, ex rebus plane hisce qualitatibus destitutis oriri impossibile, quia nihil dat, quod in se non habet aut actu aut eminenter & excellentiore gradu.* Hoc manifestum, quia si qualiscunque res posset aliis perfectionem aliquam dare, quam ipsa non habet, sane hæc perfectio ex nihilo produci deberet, quod contradictorium est. (Si quis regesserit quemadmodum olim Gildonius in Epistola ad Blantium. Oracles of reasons. pag. 186.) sonos scilicet colores, quibus ex figura & motu oriri, qui quidem nullos in se habeat ejus generis qualitates materiæ illi a Deo esse inditas quæ quidem in Deo sine blasphemiæ crimine dici non potest & eodem pla-

ne modo & perceptione oriri ex eo, quod nullam talem in ſe habet qualitatem. *Si cum uno ex collocutoribus apud Ciceronem concludant totum debet eſſe intelligens quia ejus partes intelligentes ſunt — retorquemus argumenta cum alio colloquutore apud Ciceronem qui adverſario reſpondit, & totum debet eſſe aulicus muſicus ſaltator aut philoſophus quia partes aliqua, tales ſunt. Mr. Tolands Cetter molion neceſſary le Matter.* Reſponſio eſt prompta, primo falſum eſt colores, ſonos, gallus & hujusmodi alias qualitates productiones eſſe meræ figuræ & motus quandoquidem in ipſis corporibus ſenſuum noſtrorum objecti nihil his qualitatibus ſimile deprehenditur,* ſed hæ profecto meræ ſunt cogitationes aut mentis noſtræ modificationes, quæ eſt ipſa intelligentia, & objecta externa eorum cauſæ non ſunt ſed ſolummodo occaſiones mediante figuræ motusqne impreſſione. Neque quicquam (in hac diſputatione) Atheo proderit etiamſi in ſuam gratiam quamplurima liberaliter iili largiamur imo vel abſurdisſimam hanc propoſitianem *mens eſt pura puta materia & nequaquam ſubſtan-*

tia

tia immaterialis, cum tamen illi fatendum eſt mentem eſſe materiam perceptione, conſcientia & non ſolum figura & motu inſtructam, tum usque recurret difficultas ſcilicet colores, ſonos ſimilesque aliæ quæ non ſunt rei brutæ & non intelligentis qualitates, ſed mentis perceptiones, neque commodius & citius oriri poſſe ex figura & motu nulla perceptione prædito, quoad colorem poſſe triangulum & ſonum eſſe quadratum aut aliquid cauſari a nihilo, quod attinet poſtea ſecundam partem objectionis figuram diviſibilitatem aliosque qualitates multas a Deo (quod æquo animo concedimus) materiæ eſſe inditas, quæ quidem in Deo ſine injuria dici non poſſunt & non disſimili modo perceptionem & intellectum oriri a re aliqua non intelligente, & hic facilior eſt reſponſio. Diviſibilitas figura aliæque qualitates bene multæ proprie non ſunt materiæ affectiones poſitivæ & diſtinctæ, ſed negativæ tantum, defectus, imperfectiones. Et hoc modo quamvis cauſa nullam realem perfectionem quam ipſa non poſſidet cum ſuo effecto communicare poterit, nihilo ſecius effectum poterit facile habere impet-

imperfectiones vel qualitates negativæ quas causa non habet, quamvis igitur figura & divisibilitas (utpote meræ negationes, & omnes reveræ sunt omnes limitationes) possunt esse in effectu & non tamen in causa. Attamen intelligentia (quam de præsenti supponimus esse qualitatem positivam & non meram negationem quod suo loco mox probabimus) nullo modo ita se habere potest, his igitur demonstratis nimirum si intelligentia sit perfectio distincta (imo materiæ tantum quod vult Atheus) & non ex figuræ & motus nihil intelligentibus aliqua compositio orta ; tum entia perceptione & conscientia prædita non possunt oriri ex tali causa nulla harum qualitatum instructa, qui semper valet ipsa regula, nihil dat quod in se non habet actu aut eminenter. Secundo facile ostendemus *perceptionem aut intelligentiam talem esse qualitatem vel perfectionem & nullo modo ex figura & motu compositio aut effectam & eopropter potissimum, quia perceptio non est motus, figura neque conscientia.* Quicquid ab aliis etenim componitur, semper est ea res quibus componitur, & si dentur com-

compoſitiones infinitæ, in æternum res ſemper erunt eædem ; & omnia eorum producta, non aliud æſtimanda, quam eorundem novæ repetitiones, ex. gr. figuræ alicujus, qualescunque mutationes vel compoſitiones, & diviſiones, motus, ſemper ſunt meras motus in perpetuum ; ſi tempus itaque fuit, quando in univerſo nihil exiſtebat præter materiam & motum ; præter materiam & motum in æternum nihil potuit eſſe præterea : & tam fuiſſet impoſſibile, intelligentiam, conſcientiam imo lucem, calorem, ſonum unquam exiſtere potuiſſe, vel ullam aliam qualitatem quam vulgo appellamus qualitatem ſecundariam, quam ut motus hoc tempore ſit cæruleus, ruber ; aut ut triangulum mutetur in ſonum, in hoc negotio multi decipiuntur, propterea quod falſo imaginantur, compoſitum realiter eſſe quid diſtinctum a ſuis componentibus, quod error eſt maximus ; omnia etenim de quibus ita vulgo judicatur, aut, ſi realiter ſunt diſtinctæ non ſunt compoſitiones vel effecta rerum quarum eſſe putantur, ſed aliquod toto cœlo diſtinctum. E. gr. cum vulgo æſtimatur coloras & ſo-

& ſonos, proprietates corporibus cohærentes, cum reapſe pure ſint cogitationes mentis: aut ſi vere ſint compoſitiones, vel effecta, tum non ſunt res diſtinctæ ſed omnino res eædem quæ antea fuerunt. V. gr. duo triangula conjuncta, faciunt quadratum quod quidem nihil aliud eſt, quam duo triangula, & vice verſa ex quadrato æqualiter diviſo, fiunt duo triangula, quæ tamen nihil aliud ſunt, quam duo dimidia quadrati, aut cum ex mixtione pulveris cærulei & flavi fit color viridis, qui quidem (ut beneficio microſcopii manifeſtum eſt) nihil aliud eſt quam flavi & cærulei mixtio, quid multis omne quodcunque ſit, compoſitione, diviſione & motu, nihil aliud eſt, niſi quod ante fuit, ſive integrum ſive partes ſumas, ordine, loco & diſpoſitione partium utique mutatis. Hujus argumenti ponderis Hobbeſius conſcius fuiſſe videtur, (parce quamvis & pudibundus loquatur) quippe qui anxius animus, propter difficultatem natam ex impoſſibilitate, ſenſum aut conſcientiam poſſe eſſe mera effecta figuræ & motus, (& quantumvis poſſibile) ſuo ſcopo minime multum inſervire poteſt, ſup-

ſupponere Deum actu mediato omnipotentiæ ſuæ aliquæ materiæ ſuſtemata aut compages conſcientia & cogitatione donare (de qua opinio ſuo loco) tandem eo abſurditatis coactus venit, ut dicat omnem materiam qua talem non ſolum figura & capacitate motus eſſe prædıtum, ſed etiam actuali ſenſu vel perceptione, ſed propter organorum defectum, non valet memoria animalium, ad ſenſationes ſuas exprimendas. *Scio fuiſſe philoſophos quosdam, eosdemque viros doctos, qui corpora omnia ſenſu prædita eſſe ſuſtinuerunt, neque video, ſi natura ſenſionis in reactione ſola collocaretur, quomodò refutari poſſit. Sed etſi ex reactione etiam corporum aliorum phantaſma aliquod naſceretur, illud tamen remoto objecto ſtatim ceſſaret: nam niſi ad retinendum motum impreſſum, etiam remoto objecto, aptu habeat organa, ut habent animalia; ita tamen ſentient, ut nunquam ſenſiſſe ſe recordentur —ſenſioni ergo, quæ vulgo ita appellatur, neceſſario adhæret memoria aliqua eo. Hobbeſ. Phyſit. cap. 25. Sect. 5.*

III.

III. Ens per se existens, esse intelligens, & mente prædictum ex varietate, ordine pulchritudine, ex harmonia admirabili omnium, & aptitudine ad proprios & respectivos fines, hoc atgumentum ita docte ab antiquis & recentioribus est traditum, ut illum levi brechio de præsenti prætereo. Observandum tamen est, dum Cartesius aliique manopere laborant demonstrare, quomodo mundus formari posset legibus motus tantum, nihil aliud hoc magno & apparenter cœpto ingentissimo, studuerunt quam philosophice explicare, quomodo Unixersi inanimata, hoc est pars maxime vilis, & minimi momenti possibiliter potuisse, legibus motus observatis formatum iri.

Curiosissimam erenim & plane stupendam animalium & plantarum fotmationem quam maxime sapientia Creatoris conspicitur, nunqnam cum illo prospero successu, imo vel mediocri quidem, eam exponere prætenderunt. Quemadmodum enim hæc origine sunt formata, materia & leges docere oon possunt, & in hoc casu tantum profecto valent quantum est minimum: Et quam absurda Epichrea sit hypothesis, quæ

quæ autumat terram caſu ea omnia primum produxiſſe, (quod tamen recentioribus Atheis non multum arridet) ex inventis proximi ſeculi philoſophicis, abunde patet nullam quippe dari generationem æquivocam, vel animalculi maxime humilis aut plantæ infimi omnium prælii ſatis oſtenſum fuit. Sol quippe terra, aqua juxta cum ſuis potentiis aut facultatibut omnibus, nullam rem animatam neque vegetativam, ullo pacto poſſunt producere. (Ex quibus in tranſitu obſervandum, quanti uſus eſſe poteſt philoſophia naturalis & experimentalis, vel etiam in ſtabiliendis Religionis veritatibus) hæc cum vera ſinquam quæ veriſſima (& vel Atheis confitendum eſt maxime obſtinatis) Plantas & animalia aut eſſe opifici cum Entis intelligentis, & ab eo in tempore creata, aut ea ab æterno extitiſſe eodem ordine & methodo, qua jam exiſtunt, & ſic effecta ſunt æterna cauſæ intelligentis perpetuo ſuam potentiam infinitam, & ſapientiam exerentis, aut denique nulla interventa cauſæ primæ, illa ſeſe generaſſe ſucceſſione æterna, progreſſu infinito cauſarum dependentium. Pri-

ma hypothesis, est nostra quam asserimus conclusio, secunda in eodem redit, (respectu puta Atheismi) tertiam denique supra ostendimus in secundo capite generali hujus tractatus esse absolute impossibilem & contradictoriam.

IV. Supponendo adhæc, esse possibile formam universi aliorumque rerum visibilium omnium juxta cum eorundem ordine pulcbritudine symmetria partium, imo quod plus eo est, posito casu vel cogitationem & conscientiam posse oriri ex materia stupida & non intelligenti figura & motu (quæ omnium hypothesium absurdissima) nihilo segnius, maneret demonstratio firma qua probamus. Ens per se existens (cujuscunque indolis id sit) esse perceptione præditum, stupida quippe figura, & non intelligens motus, nunquam exstitissent nisi illis prior extitisset causa rationalis intelligens. In motu v.gr, ponamus instantiam. Motum dari nemo est hominum qui inficiatur. Quicquid enim aut ab æterno extitit, aut aliquo tempore incipit existere, si hoc supponatur, tum quod est in quæstione, causam primam esse intelligentem, nobis conce-

conceditur, materiam quippe ſtupidam quietam, nulla mente præditam ex ſe nunquam moveri poſſe, manifeſtiſſimum: contra ſi ab æterno extiterit motus, tum ab cauſa aliqua intelligente ab æterno cauſabatur, aut ex ſe & neceſſario erat, aut ſine ulla naturæ ſuæ neceſſitate & ſine ulla cauſa externa neceſſaria, ſed ab ætero extitit communicatione ſucceſſiva infinita, ſi motus vero ab æterno a cauſa intelligente cauſabatur, tum habemus quod petimus, reſpectu hujus quæſtionis; quod ii ab æterno extiterat neceſſario, tum erit contradictio. expreſſa, mateтiam ullam quieſcere imo adhæc contradictoriam ſupponere, plus potuiſſe motus exiſtere originaliter, quam reapſe exciterat, quod ita eſt abſurdum ut ipſe Spinoſa, qui etiamſi omnia eſſe neceſſaria ſtatueret, tamen de origine motus, parce & pudibundus loquitur, neque palam opinionem ſuam profecto imo potius ſibi contradicit. Spinoſ. Ethic. Part. I. Prop. 32. collatam cum Part. II. Prop. 13. Lemm. 3, Quod ſi dixeris motum eſſe ab æterno ſine ulla cauſa æterna, & ſine neceſſitate naturæ ſuæ ſed communicatione ſucceſſiva in

infinitum, ut Spinoſa inconcinne ſatis affirmare videtur. *Corpus motum vel quieſcens, ad motum vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem detarminatum fuit ab alio, & ſic in infinitum Ethic. Part. II. Ptop. 13. Lemma. 3.* hæc ante in probatione ſecundi capitis generalis contradictoria eſſe docuimus, reliquum eſt igitur, ut motus habeat authorem, cauſam aliqnam intelligentem, alioquin nullus unquam in univerſo extitiſſet motus, & conſequenter cauſa prima omnium rerum origo debet eſſe perquam neceſſario ens intelligens. Sequitur inſuper ex dictis, mundum materialem nullo modo poſſe eſſe ens per ſe exiſtens, quandoquidem ens per ſe exiſtens ut vidimus ſit ens intelligens, & mundus materiale tale non eſt ut ſatis patet; ſequitur mundum materialem non eſſe ens per ſe exiſtens, quod attinet opinionem de anima mundi, ſi per eam intelligant rem creatam & dependentem, in hac quæſtione nihil plane valet ad favendum Atheis, quod ſi per eam intelligant aliquid per ſe, & neceſſario exiſtens, quid aliud eſt quam notio involuta & obſcutior de Deo. IX.

IX. *Ens per ſe exiſtens & cauſa origi-lis prima, non eſt ens neceſſarium, ſed ens libertate & arbitrio præditum.* Hujus propoſitionis oppoſitio fundamentum eſt omnium argumentationum Spinoſæ & aſſeclarum de natura Dei, quam minus conſequentes & abſurdæ vero eorum rationes ſunt, docebitur in ſequentibus illuſtrationibus noſtræ propoſitionis, cujus veritas patet

1. Quia ex ſuperioribus neceſſario ſequitur; intellectus enim (quod obiter ſupra monui) ſine libertate excellentiæ, potentiæ aut perfectionis habita ratione, reapſe non eſt intellectus vel perceptio eſt quidem conſcientia, ſed mere paſſiva, conſcientia ſcilicet non agendi ſed pure patiendi. Sine libertate proprie loquendo nihil poteſt dici agens aut cauſa ullius rei cujuſcunque. Agere enim neceſſario non eſt profecto agere, ſed potius actum iri vel pati. Quod itaque Spinoſa cum ſuo grege aſſerit de formatione omnium ex neceſſitate divinæ naturæ, & neceſſitate divinæ naturæ infinita infinitis modis ſequi debent, Ethic. Por. I. Prop. 16. loquentia eſt inanis ſine ulla ſi-

gnificatione. Per necessitatem etenim divinæ naturæ perfectionem & rectitudinem suæ voluntatis, qua Deus immutabiliter determinatus est ad faciendum quod bono totius consultum est, si non intelligant (quod certe non volunt quia hoc consistens cum libertate perfectissima & electione) sed contra absolutam & stricte dictam physicam intelligant necessitatem. Sequitur quam evidentissime, quod, quando dicunt Deum necessitate naturæ causam esse omnium rerum, non ullo nobiliore sensu causam illam intelligunt, quam si quis dixerit saxum necessitate naturæ causam esse casus sui, & terram percutiendi; quod revera non est agere sed pelli, ideo causæ nomen nonnisi temere illi imponatur, sed eorum opinio huc profecto redit, omnia æque esse entia per se & necessario existentia & consequenter universum esse Deum, quod contradictionem esse ante demonstravimus. Itidem quando de intelligentia e notitia Dei loquuntur, nullo alio sensu illi volunt has proprietates tribui, quam quemadmodum philosophi hylozoici (illi puta qui omnem materiam in genere animatam posuerunt)

ὕλη

ὕλη vel materiæ trubefcebant, hoc eft lapidem cadendo perceptionem & confcientiam habere fui; fed ea confcientia nulla omnino eft caufa aut agendi potentia, quæ quidem intelligentia in ullo fano fenfu nulla eft & per confequens eadem argumenta probantia caufam fupremam effe fenfu ftrictisfimo ens intelligens, probant eadem opera, eandem effe libertate & electione quam maxime præditam, quæ una ex potentia agendi,

2. Caufa fuprema fi libertate & eligendi potentia non eft prædita, fed ens plane neceffarium actiones, cujus juxta cum fua effentia funt abfolute neceffariæ, tum fequitur nihil poffe prorfus accidere, quod ante non erat, & nil quod eft, potuiffe non fuiffe neque ullum rerum motum, aut circumftantiam aliter potuiffe fuiffe, quam funt de præfenti, quæ omnia cum evidenter abfurda & falfisfima; contra fequitur, caufam fupremam effe in agendo liberrimam, utpote facultate eligendi præditam hanc effe confequentiam ex Doctrina Spinofæ, fua verba docent: *Alii putant Deum effe caufam liberam, præterea quod*

 poteft,

potest, ut putant, efficere ut ea quæ ex ejus natura sequi diximus, hos est, quæ in ejus potestate sunt, non fiant; sed hoc idem est ac si dicerent, quod Deus potest efficere, ut ex natura trianguli non sequatur, ejus tres angulos æquales esse duobus rectis. - - Ego me satis clare ostendisse puto, a summa Dei potentia omnia necessario effluxisse, vel semper eadem necessitate sequi; eodem modo ac ex natura trianguli ab æterno & in æternum sequitur, ejus tres angulos æquari duobus rectis, Ethic. Part. I. Schol. ad Prop. 17.

Omnia ex necessitate naturæ divinæ determinata sunt, non tantum ad existendum, sed etiam ad certo modo existendum & *operandum, nullum datur contingens.* Demonstrat. Prop. 29.

Si res alterius naturæ potuissent esse, vel alio modo ad operandum determinari; ut naturæ ordo alius esset: ergo Dei etiam natura alia posset quam jam est, Prop. 33. Demonstr.

Quicquid concipimus in Dei potestate esse id necessario est, Prop. 35.

Deum

Deum non operari ex libertate voluntatis, Corol. ad Prop. 32.

Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam producta sunt, Prop. 33.

Ex necessitate divinæ naturæ, infinita infinitis modis sequi debent, Prop. 16.

Immo Adversarii (qui negant, ex necessitate divina omnia necessario fluere) Dei omnipotentiam negare videntur. Coguntur enim fateri, Deum infinita creabilia intelligere, quæ tamen nunquam creare poterit. Nam alias, si scilicet omnia, quæ intelligit, crearet; suam, juxta ipsos, exhauriret omnipotentiam, & se imperfectum redderet, ut igitur Deum statuant, eo rediguntur, ut simul statuere debeant, ipsum non posse omnia efficere, ad quæ ejus potententia se extendit. Coroll. ad Propos. 17.

Primum Argumentorum est mera petitio principii, nemo etenim ibit inficias, naturam infinite perfectam posse creare res infinitas infinitis modis, quia verissimum est,

ſed ut hoc actu faciat abſoluta neceſſitate naturæ, ſine ulla potentia eligendi, neque reſpectu temporis neque modi aut ullius alius circumſtantiæ, haudquaquam ſequitur a perfectione ſuæ naturæ, niſi ante ſupponatur, cauſam primam eſſe agens neceſſarium, quod illi erat probandum, non ſupponendum. Secundum argumentum (ſi id ſupponi poſſit) altero debilius: Quomodo enim quæſo ſequitur, quod ſi Deus ſecundum æternum certum propoſitum & infinitam ſuam ſapientiam, diverſas res diverſis temporibus & diverſis modis produxerit, ideo & ſua voluntas & natura Dei eſt mutabilis, non pari plane modo argumentari quis poſſit, ſi Deus (ſecundum principia Spinoſæ) *ſemper neceſſario producit res omnigenas, ideo & ſua voluntas & natura ſemper neceſſario varia, inæqualis & ſibi diſſimilis.* Ad tertium Argumentum quod pertinet, (præterea quod vanitas eſt mere metaphyſica, & nullam adhibet differentiam inter Deum, acta & neceſſario omnia poſſibilia omni modo poſſibili agentem, & inter eum, potentem vel capacem talia agendi,) idem eſt, ac ſi quis di-

diceret, si omnis possibilis (æterna) duratio non sit actu semper exhausta, nunquam plene exhauri poterit, & hoc modo Dei æternitatem aboleri. Sed quicquid de hisce argumentis, & si vel maxime essent plausibiliora, quam vere sunt, tamen hæc assertio, quod nulla res aut modus existentiæ cujusvis rei prorsus non possit fieri ullo respectu, quam quod actu est, ita est absona & experimentis, naturæ rerum & communi rationi contradictoria, ut quam primum aperiatur, ipsa recensio quodcunque principium, cui freta est, funditus evertat. Omnia enim in Universo obvia plane apparent quam maxime arbitraria, & esse penitus non necessitatis, sed sapientiæ & arbitrii effecta manifestissima. Dari tamen necessitatem convenientiæ, nimirum res non potuisse alias esse, quam sunt sine diminutione pulchritudinis, ordinis & status prosperi totius (& quoad novimus, talis necessitas certe datur,) sed tantum abest, ut ea inserviat adversariorum scopo, ut e contrario demonstratio sit invictissima, omnia esse ita pulchre disposita, nonnisi a liberrimo sapientissimo. Sed id imprimis Spinosæ oppo-

ponimus, ſcilicet, in hisce omnibus viſibilibus rebus, nulla veſtigia aut ſimulacra leviſſimæ abſolutæ neceſſitatis naturæ (ita ut vel minima variatio implicaret contradictionem) motus ipſe juxta cum omnibus ejus quantitatibus & moderationibus e gravitationis legibus, prorſus ſunt arbitrariæ, & alias potuiſſent eſſe, quam de facto ſunt, ſine ulla contradictionis crimine. Numerus & motus corporum cœleſtium in ſua natura nullam habent necesſitatem. Planetarum numerus minor aut major potuisſet eſſe, moderatio eorundem, motus, tum planetarum primariorum cum ſecundariorum uniformiter ab occaſu ad ortum, cum ex cometarum motu conſtat, nihil impedire, quare non quocunque alio modo transverſim moveantur; inviƈtisſimum hinc argumentum, hæc omnia effeƈta eſſe ſapientiæ & arbitrii. Nulla necesſitas cogit, quin omnia hæc poſſe alterari a præſenti ſtatu, in quo ſunt, imo nuperrimis inventionibus Aſtronomicis probatur, ea eſſe mutationibus multis obnoxia.

Porro, omne terreſtre magis adhuc apparet eſſe arbitrarium: Quid quæſo abſolu-

lutæ necesſitatis, ut præciſe exiſtant tot animalium & plantarum ſpecies? Et quis quæſo ſine rubore cum Spinoſa auſit dicere: *Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam producta.* vid. ſupra. Ex. gr. inſtantiam afferamus unam in magnis animalibus, quæ necesſitas iſtius conformitatis & ſimilitudinis, quam in cujusque ſpeciei membris principalioribus? Et quemadmodum amabo eſſet contradictio, ſupponendo in illis aliquid varietatis? Contradictio certe eſt talium monſtrorum continuationem ſupponere cum Lucretio, quæ perierunt propter illis deſtituta præcipua vitæ organa, ſi illi credendum eſt. Sed ſupponere boum puta aut equorum ſpeciem integram, potuiſſe ſubſiſtere ſex pedibus, aut oculis quatuor, utique nulla eſt contradictio, ſed hæc leviora ſunt, neque illis inhærendum, cum res ipſa ſe aperit.

Potuiſſet quidem objici, majore cum applauſu & ſimilitudine veri, cauſam ſcilicet ſupremam non poſſe liberam cum quod optimam reſpectu totius Univerſi, neceſſe faciat in perpetuum. Sed hoc Spinoſæ ſcopo neutiquam eſſet ſatis, hæc quippe neceſſi-

cessitas non est physica, aut fatalis, sed necessitas convenientiæ & sapientiæ, quæ cum libertate quam commodissime convenit, hujus enim necessitatis fundamentum est voluntatis immutabilis rectitudo & sapientiæ perfectio, ex quibus fit, ut Ens optimum sapientissimum non possit apud se statuere quid inepte, aut minus sapienter aut male agere. Sed de his plura, quando deducenda venient Attributa Moralia Dei.

III. Si detur ulla causa finalis, sequitur, causam supremam non esse necessariam, sed agens liberrimum, & ipse Spinosa hanc consequentiam ut optimam approbat, ideoque nihil illi reliquum est, quam ut cum ludibrio exsibilentur omnes causas finales, utpote ab ignaris & superstitiosis inventas. Verba Spinosæ sic habeto: *Naturam finem nullum sibi præfixum habere, & omnes finales causas nihil nisi humana esse figmenta*, Append. ad Prop. 36. Oculos ad videndum, dentes ad masticandum, herbas & animantia ad alimentum, solem ad illuminandum, mare ad alendum pisces, hæc omnia cum risu alacriter exsibilat. An cum tali homine cum argumentis confligendum est, qui nihil,

quod

quod reponat, habet, nisi explosiones, scommata & chachinnationes ridiculas, jure dubitatur. Si quis plura de hoc capite videre cupiat, consulat Galem *de Usu partium;* Tullium *de Naturâ Deorum;* Boyleum *de Causis finalibus*, & Royum nostrum *de Sapientia Dei in operibus Creationis Anglice.* Hic porro notatu dignissimum est, quod quo plus coluntur disciplinæ physicæ & Astronomicæ, eo magis indies elucescit hujus veritatis evidentia, in confusionem & opprobrium Atheismi.

IV. Si suprema causa esset agens necessarium, nullum ejus effectum posset esse finitum, quippe quæ necessario agit, actionibus suis nullus adhibetur modus aut moderatio, sed usque producit effecta secundum naturæ suæ indolem, unde patet, omne hujus naturæ effectum uniformiter usque & usque agentis necessario debet prorsus esse immensum aut extensione infinitum, & consequenter nulla creatura esset finita; quo nihil absurdius aut quotidiano usu contrarius excogitari poterit. Spinosa quidem ad evitandam hanc absurditatem suæ doctrinæ, hæc lectoribus propinat

pinat medicamentum: *Ex necessitate divinæ naturæ infinita infinitis* (numero puta) *modis sequi debent.* Ethic. Part. I. Prop. 16. Sed quando ad propositionis demonstrationem venit, ita se explicat, ut lector quisque hujusmodi speculationibus assuetus, si animum intenderit ad observandum, facile perspexerit, ex sua demonstratione æque bene sequi, ex necessitate divinæ naturæ infinita (puta extensione) produci posse, quæ una sua demonstratio funditus evertit sententiam, in cujus gratiam adducitur.

V. Si suprema causa non sit libera & voluntatia, tum sequitur in omni effecto (in motu e. g.) progressum dari causarum in infinitum, sine ulla omnino causa prima & originali, nam si detur uspiam nulla libertes, tum nuspiam erit causa ulla omnino, nullus motor, principium nullum, aut motus in illum, quia omnia in Universo erunt passiva; activa vero nulla, omnia mota effecta, nullus vero motor & causa nulla. Spinosa equidem ad necessitatem divinæ naturæ (quod vidimus) omnia ut ad veram causam referre nititur, sed hoc nihil aliud, quam

verba

verba dare, & pura ſine ſignificatu garrulitas, quæ in hac quæſtione ne illi minimum quidem inſervitura. Nam ſi per exiſtentiam rerum ex neceſſitate divinæ naturæ intelligat, abſolute neceſſitatem exiſtentiæ, ita ut mundus atque ſingulæ ejus partes ſint neceſſario per ſe exiſtentes, (quod antea oſtendimus) & ut ſit expreſſa contradictio, ſupponere motum non exiſtere, quod Spinoſa non auſus affirmare. Quid ſi per hanc phraſin *ex neceſſitate divinæ naturæ* nihil aliud intelligat, quam *neceſſariam* effecti *conſequentiam* ex ſua cauſa, aut *quod cauſa neceſſario producit ſuum effectum*; hæc iterum neceſſitas ab aliquo antecedente debet determinari, & illud ab alio progreſſu in infinitum, quod expreſſe Spinoſa hic inde affirmat (quamvis videtur alterum non minus abſurdum ſenſum aliquando intelligere.) *Unaquæque volitio non poteſt exiſtere neque ad operandum determinari, niſi ab alia cauſa determinetur, & hæc rurſus ab alia, & ſic porro in infinitum.* Prop. 32. Dem. *Porro voluntas ad Dei naturam non magis pertinet, quam reliqua naturalia; ſed ad ipſum eodem modo ſeſe habet,*

ut motus & quies. —— *Deus non magis dici potest ex libertate volnntatis agere, quam dici potest ex libertate motus & quietis agere.* Coroll. ad Prop. 32. Quid vero motus & quietis sit origo, clare satis his verbis significat: *Corpus motum vel quiescens ad motum vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatum fuit ab alio, & illud iterum ab alio, & sic in infinitum.* Ethic. Part. II. prop. 13. lem. 3. Et sic cum motus in nulla statione suarum communicationum sit Ens per se existens, (corpus quippe motum supponi possimus sine contradictione quietum esse, & supponitur non a se, sed ab alio derivare suum motum) Spinosæ sententia summarie huc redit, dari scilicet successionem infinitam causarum a se invicem dependentium progressu infinito, sine ulla causa prima vel origine, quam opinionem supra, contradictionem esse, satis demonstravimus. Et cum hæc absurditas nullo alio modo evitare poterit, nisi concedamus alicubi principium motuum & actionum quod erit libertas. Jam quemadmodum spero, abunde esse probatum, causam

ſam ſupremam libertate & facultate eligendi eſſe præditam.

Ex quibus ſequitur, libertatem in ſe & in rei notione non implicare contradictionem & impoſſibilitatem, quemadmodum neceſſitatis & fati aſſertores mordicus contendunt, ut huic ſuppoſitioni tota ſuorum argumentorum vis initatur: nam quod de facto exiſtit, certe non eſt impoſſibile; dari motum autem & non poſſe non exiſtere in ſuprema cauſa, fuſius ſupra oſtendimus. Præcipuum argumentum, ne dicam Herculeum, contra libertatem ab Atheis fati propugnatoribus allatum, hujusmodi eſt, cum inquiunt, omne quid cauſam aliquam habeat, ſit neceſſe, omnis volitio aut determinatio voluntatis Entis intelligentis itidem habet ſuam cauſam, & iſta cauſam oportet habeat ſuam, & ſic porro in infinitum. Verba Spinoſæ ſic ſonant: *Mens ad hoc vel illud volendum determinatur a cauſa, quæ etiam ab alia determinata eſt, & hæc iterum ab alia, & ſic in infinitum.* Ethic. part. II. prop. 48. Sed ex hoc argumento contrarium plane ſequitur, quandoquidem enim oportet unamquamque rem aut ex ſe & na-

tura sua aut extra habere aliquam causam, & contradictionem esse effectorum dependentium progressum in infinitum supponere satis superque inculcavimus. Ergo oportet necesse existere causam unam in Universo, cujus existentia suæ propriæ naturæ innititur, & a nulla alia quippe acta, in se agendi principium vel motus habeat, necesse est; quod quidem est idea libertatis. Fateor, hoc argumentum solummodo causæ primæ libertatem stabilire, non comprehendens res creatas, sed tamen satisfacit nostro scopo præsenti, ut tantum absit, libertatem in sua idea applicare contradictionem, ut contra oporteat eam alicubi existere, nisi volumus expressa contradictoria ponere; hoc in præsentia probato nullo labore demonstrabimus suo loco eandem commodissime cum creaturis communicare posse.

Ens ex se existens vel causam omnium rerum suprema infinita potentia necessario debet esse prædita. Hæc propositio firmissima est & invincibilis : nam (ut ante ostendimus) præter eam unam nihil per se existere potest, & consequenter suam existentiam

ſtentiam res omnes illi acceptam referant oportet, imo ab ea usque & usque dependunt; & facultates rerum omnium ab eadem derivantur, & ea propter, illi omnino ſubditæ ſubordinatæ: manifeſtum eſt illius voluntati nihil poſſe reſiſtere, ſed ſine ulla exceptione loci aut temporis, omnia quæ illi lubent, ſimul & ſemel pro arbitrio voluntatis nullo labore efficit. Potentiæ divinæ in Sacris literis deſcriptionem habemus elegantiſſimam, & ita emphatice magnificam, ut operæ duxerim, locos nonnullos allegare Job. IX, 4. in Atheorum gratiam autoritatem ſacrarum literarum non urgeo, neque ea in præſenti quæſtione ſane nullum eſt opus, cum ex ratione manifeſtiſſime pateat, cauſam ſupremam neceſſario debere eſſe infinite aut omnipotentem, quæſtio verum eſt, quid propria hæc infinita potentia denotat, & ad quas res extendi intelligitur.

In hac quæſtione itaque decidendo, ſunt propoſitiones nonnullæ minimum controverſæ, quas igitur tantum recenſendo prætерimus.

I. Infinitam nimirum potentiam ad omnia extendi possibilia, tamen ad efficienda ea, quæ implicant contradictionem, haudquaquam extendi intelligimus, v. g. rem posse esse & non esse simul & semel, & in iisdem respectibus rem eandem factam & infectam, extitisse & non extitisse, bis duo non posse esse quatuor, aut quod necessario verum, posse falsum, cujus rei ratio patet. Potentia etenim efficiendi ut res existat eodem tempore cum reapse, non existit, esset potentia id producendi, quod merum est nihil, potentia scilicet omnino nulla.

II. Neque infinitam potentiam intelligitur extendi ad ea, quæ naturalem implicaret imperfectionem in ipsa causa, cui hanc infinitam potentiam tribuimus, ut se ipsam puta destruere aut infirmare posset, & ejus generis alia. Hæc quippe imperfectionem denotantia, ad causam per se necessario existentem omnibus ajentibus pertinere non possunt. Sunt & alia, quæ alius generis imperfectionem denotant, moralem puta. Sed cum quæstionis subjectum ipsum (negando prorsus esse differentiam inter bonum

num & malum morale) utique e medio eripiant, quamobrem hujus quæstionis considerationem distineamus, donec ad deductionem Attributorum Dei moralium ventum fuerit. Sed nonnulla alia in hac quæstione notanda veniunt, de extensione potentiæ infinitæ puta, de quibus (excepta quæstione, an causa suprema sit ens intelligens) maxima lis est nobis cum Atheis.

I. Potentiam infinitam in se includere potentiam creandi materiam, quod Athei constanter negant, quam antiqui, tam recentiores, contra idem omnes affirmant, qui & existentiam Dei agnoscunt, & ejus attributa rite norunt. Una ratio, cui inniti possit Atheorum sententia, est, quod res natura sua sit plane impossibilis. Sed dic amabo, unde patet hæc impossibilitas? Utique, quia, quemadmodum res esse possit, percipere nequeant. Rem etenim implicare contradictionem (quæ una est impossibilitas) haudquaquam ausi sunt affirmare, neque est factu possibile, etsi velint maxime. Affirmare enim rem aliquam, quæ semel non existit, postea tamen existere posse, neque directe vel per consequentiam idem

eſt, ac ſi dixerim, res, quæ non exiſtit, poſſe eſſe, dum adhuc non exiſtit. Verum quidem eſt, nos quippe generationibus & corruptionibus ita aſſueti, & formationes non creationem rerum usque oculis noſtris conſpicientes, proclives ſumus, noſtram ideam creationis ideæ formationis accomodare, & asſimilare quautum posſimus maxime, & quemadmodum in formatione vidimus, præexiſtentem aliquam materiam, ex qua res formatur, ita imaginamur & in creatione, præexiſtere debere præexiſtens *nihil* ex quo, non ſecus quam ex cauſa materiali, res creatur, quod quidem videtur eſſe contradictioni ſimile. Sed propter ideas confuſas & minus diſtinctas creationis, ſolemus hoc modo diſcurrere, quemadmodum pueri ſolent concipere tenebras eſſe vere quid reale, expelli tamen bene mane a luce, aut in eam eſſe converſas, cum vera & accurata creationis idea non eſt aliquid formare ex nihilo, ſed aliquid in exiſtentiam producere, quod antea exiſtentiam habuit nullam; aut aliquid cauſari exiſtere, quod antea non exſtitit, & ſine hac cauſa non exſtitiſſet, quod quidem omne nullam implicat

cat

cat contradictionem, plus quam alicujus formatio, quæ ante tali forma erat destituta, & profecto si clarius eloquerentur, summa omnium hactenùs prolatorum, tum ab antiquis, tum a recentioribus Atheis, huc redit, (quod argumentum est ineptissimum) nimirum materiam incipere existere, nullo modo potuisse, quia hoc eam supponit existere, priusquam existeret, neque eandem posse incipere suam existentiam, quando esset, quia & hoc supponit, eam non existere, postquam existit, quod argumentum ejusdem est farinæ, cum illo Philosophi alicujus, qui demonstrare gestiit, nullum omnino dari motum, ex eo quod corpus neque in *loco quo est*, neque in *loco ubi non est*, movere potest, argumenta ex omni parte sunt simillima, eodemque plane modo solvenda veniunt.

II. Potentiæ infinitæ perquam possibile est, producere substantiam immaterialem & cogitativam potentia principiandi motum & libertate voluntatis aut electionis præditam, quod insuper hactenus omnes Athei negarunt: quæ quidem quæstio cum maximi sit momenti in Rebus Theologicis

& moralibus, partes ſingulas ejus de induſtria accuratiſſime tractare ſtudebo.

I. Poſſibile eſt, inquam, potentiæ infinitæ ſubſtantiam immaterialem & cogitantem creare. Dari poſſe ſubſtantiam cogitantem, i. e. conſcientia & cogitatione inſtructam, in conceſſo quoad novi ab omnibus, quia omnis homo propria experientia & ſenſione convincitur, ſeſe eſſe ejusmodi ſubſtantiam; porro iſtis hactenus conceſſis, ajo æquum eſſe credamus, tales ſubſtantias cogitatione & conſcientia præditas (proprietates materiæ affectionibus, quam maxime diſtantes & disſimiles) eſſe iſtas ſubſtantias immateriales, de quibus ſermo eſt, concedetur, ni fallor, ab omnibus: quod reliquum itaque reſtat probandum, hoc unum eſt. Dari aut exiſtere ſubſtantias immateriales non eſſe impoſſibile, aut non includere contradictionem expreſſam, jam quicunque affirmare ſuſtinuerit hoc eſſe contradictionem, debet & idem aſſerere omnia præter materiam eſſe purum putum nihil, aut aliquid, quod reapſe nihil, nihiloſegnius exiſtere, quod quidem, ſi ſignificantioribus utamur verbis, ſic ſonat, nimirum omne, de

de quo nullam habemus ideam, eſt nihil, & ut exiſtat, eſt plane impoſſibile. Nullo alio modo hæc propoſitio, *dantur ſubſtantiæ imateriales*, ad contradictionem reduci poterit, niſi ſupponendo, *eſſe immaterialem* & *nullam habere exiſtentiam, eſſe ſynonyma*; neque ulla alia via hoc probabis, niſi ſimul dixeris, talis rei nos nullam habere ideam ideoque neque unquam exiſtit, neque in æternum exiſtere poterit, eadem profecto argumentandi methodo (vel ſi illis maxime largiamur materiæ nimirum nos poſſidere ideas claras, ſubſtantiæ vero immaterialis plane nullam, quod falſiſſimum eſt) homo luminibus oculorum captus, invicte concludere poſſet contradictionem eſſe dari *lucem* aut *colorem*, quia neque *guſtus* neque *ſonus* ſunt. Potentia enim videndi lucem aut colorem cœco nato ita plane incomprehenſibilis, captumque ſupergrediens, quam operationes, perceptiones imo vel ſimplex eſſentia ſubſtantiæ puræ immaterialis aut ſpiritus nobis eſſe poſſint. Cœci itaque idearum defectus ſi non ſit probatio ſufficiens impoſſibilitatis lucis aut coloris, unde quæſo te, defectus noſter

ſter idearum probatio eſſe poſſit valida impoſſibilitatis ſubſtantiarum immaterialium. Sed res longe alia ajunt, cœcus teſtimoniis alienis fretus, dare lucem noverit, quam optime, & ita quoque nos nubem teſtimoniorum de exiſtentia rerum immaterialium habemus, ſed nimis dubito an Atheus teſtimonio velit decernatur quæſtio; ſed quicquid ſit, in hoc habemus nos meliorem partem & faventiorem hujus comparationis, quod ſepoſito aliorum teſtimonio, cœcus nihil quicquam ſecum reputando, probabilitatis percipere poreſt dari lucem aut exiſtere colorem; ſed nos e contrario & validiſſimas tenemus probationes, præter aliorum teſtimonia, ab experientia noſtra & ratione eſſe in rerum natura ſubſtantias immateriales, quamvis eorum ſimplex esſentia nobis adhuc lateat. Imo & primum & univerſale principium gravitationis theſin noſtram videtut demonſtrare, in omni materia inanimata, utpote ſuperficiebus corporum nullo modo neque horum particulis ſit proportionatum, ſed omnino ſolidis corporum contentis, manifeſtum eam gravitationem cauſari non poſſe a materia in ſuper-

ſuperficies alias materiæ agentis, quia plus eo agere nequit, ſed certe cauſatur ab aliquo ſolidam eorum ſubſtantiam penetrante. Sed res in animalibus facultate locomotiva donatis, & in horum ſpeciebus nobilioribus, quæ adhuc ſublimioribus beata facultatibus res eſt longe manifeſtior. Videmus enim percipimus, obſervamus in nobis aliisque, facultates, operationes & perceptiones tales, quæ invicte ſeſe probant vel eſſe immaterialis ſubſtantiæ proprietates, aut neceſſe eſt confiteamur de intima materiæ ſubſtantia & eſſentialibus ejus facultatibus nos non temere clariores ideas quam eas quas de rebus immaterialibus habere ſolemus, quod ſi ita res ſe habeat, quare, & quo fundamento, ais res immateriales materialibus eſſe impoſſibiliores? ſed de his plura in ſequentibus.

Ex hactenus ſuper hoc capite, primum erit nobis reſpondere quibuscunque Atheorum captionibus, adverſus animarum humanarum immaterialitatem, utpote ſubſtantiarum a corporibus toto cœlo diverſarum, & probata ſemel tali ſubſtantia, omnis ratio dictat conſcientiam & ſubſtantiam

tiam cogitantem ejus esse generis, hæ quippe proprietates nihil prorsus cum materiæ proprietatibus habent commune, sed ab illis quantum possit imaginari disjunctissime. Et ita omnium objectionum contra immaterialitatem animæ ipsum fundamentum plane diruimus. Objectiunculæ, aliæ particulares de præsenti, utpote jamdudum a viris doctis solutæ, non debent nos morari; sed unam cui aliæ innituntur & ad quam reduci omnes commodisse possunt memorabimus, scilicet, cum omnes nostræ perceptiones tantummodo sunt interventa quinque sensuum externorum, qui quidem ab organis corporis omnino dependent, ergo anima sine corpore nullam acquirit perceptionem, unde sequitur esse plane nihil animam humanam quatenus talem.

- - - Si immortalis natura anima est
Et sentire potest a corpore nostro
Quinque (ut opinor) faciendum est sensibus auctam
Nec ratione alia nosmet proponere nobis
Possumus infernas animas Acheronte vagare;
Pictores itaque & Scriptorum secla priora

Sic

Sic animas introduxerunt sensibus auctas.
At neque seorsim oculi & - - -
Nec sensus ipsi seorsum consistere possunt
Naribus atque manu, atque oculis atque auribus atque
Lingua; nec per se possunt sentire nec esse.
Lucret. Lib. 3.

Ὅσων γάρ ἐστιν ἀρχῶν ἡ ἐνέργεια σωματική, δῆλον ὅτι ταύτας ἄνευ σώματος ἀδύνατον ὑπάρχειν, οἷον βαδίζειν ἄνευ ποδῶν. Aristot. præterquam ut supra ostendimus, hodie perceptiones de facto distinctas facultates a sensibus neque ullo modo ab illis ortas, quantumvis obstructionibus aut indispositionibus corporis in operationibus suis impediantur, quo sensu, a corpore, recte eas respectu præsentis exercitii, dependere dixeris, sed præterea unum abs illo peterem, an quinque sensus, absoluta necessitate natura sua, sola sint, & unica percipiendi media? Et an plane est impossibile, & contradictorium in Universo dari posse ens ullum aliis mediis percipiendi diversis donatum a nostris, e corporis dispositione vel compositione enascentibus? an vero sunt

ſunt hi ſenſus reſpectu cauſæ ſupra plane arbitrarii, ita ut ſi illæ viſum fuerit, aliis creaturis alia media perceptionis donare poſſet, imo & nobis ipſis in hoc ſtatu quo ſumus, alia donare potuiſſet & in alio ſtatu adhuc differentibus percipiendi modis poterit inſtruere? Si ſint itaque hi modi perceptionis arbitrarii, eorum defectus nequaquam inferre poteſt totalem defectum perceptionis, cum eadem anima quæ in præſenti ſtatu habet facultatem reflectendi, ratiocinandi & judicandi quæ facultates a ſenſibus plane differentes; In alio vero ſtatu quidni & alio modo beetur percipiendi. ſed ſi quis retulerit hosce ſenſus noſtros neceſſario ſola eſſe media perceptionis, ſed te rogo unde hoc probas? imo nonne veroſimilius eſt ſupponere hoc eſſe merum præjudicium inde ortum, quod plus juſto ſolemus tribuere ſenſibus, rationi vero debito minus? *Has tamen imagines (mortuorum) loqui volebunt; quod fieri nec lingua, nec ſine palato, nec ſine faucium, laterum, pulmonum vi & figura poteſt, nihil enim animo (ad eos loquitur qui putabant, ſpiritus eodem modo percipere utpote*

iisdem

iisdem facultatibus instructos, quo mortales in hoc statu præsenti) videre poterunt : ad oculos omnia referebant, magni autem ingenii est, revocare mentem a sensibus, & cogitationem a consuetudine abducere, Cicero Tuscul. Quæst. I. Nam pone casum, homines quatuor sensibus instructos solummodo creatos fuisse, & visum illis fuisse plane incognitum, nonne eodem jure tum possent concludere, non esse prorsus nisi qnatuor percipiendi vias, quo jam concludirur nonnisi quinque dari posse, & ad visum quod attinet esse perceptionis facultatem tantummodo chimericam & impossibilem, eadem audacia, qua jam asseritur facultetes rerum immaterialium esse tales, hoc est injuria & temerario casu, pudeat illos & pigeat suæ vanitatis, qui suæ ignorantiæ negativæ tantummodo freti, sine ulla positivi argumenti specie, contra earum rerum possibilitatem ogganire non verentor, etiamsi omnia quorumcunque argumentorum consensione res de facto probetur existere; sed quia earum rerum non habeat ideam omnia argumenta contemnunt, ad difficultatem concipiendi naturam

unionis inter corpus & animum quod attinet, ita eam habemus cognitam quam unionem & cohæsionem inter partes cujusvis corporis in infinitum divisibiles, ideoque ignorantia nostra sicuti non impedit quo minus credamus hujus veritatem, ita nullum potest ministrare argumentum quo minus alterius unionis veritates credamus.

II. *Infinita potentia possibile est, creaturam induere potentia percipiendi motum.* Hoc Athei unanimiter negant, quia inde sequeretur voluntatis libertas de qua mox plura. Propositionem autem sic probo; Si potentia incipiendi, sit in se possibilis, nec non ut possit communicari, tum tali facultate creatura prædita esse potest, rem esse vero possibilem jamjam demonstravimus probando; necessario alicubi talem potentiam incipiendi motum dari, alioquin motus ab æterno fuisse necesse esset, sine ulla externa causa, qui tamen in sua natura nullam innuit necessitatem existendi: ita ut si alicubi non detur talis potentia, motus existere necessario debet sine ulla suæ Existentiæ causa sive interna ex natura sua, sive externa, quod antea contradictionem expres-

expressam demonstravimus; quamobrem dari alicubi motum incipiendi principium necessario oportet, ideoque est res in se possibilis. Quia necessario causæ supremæ inesse debet: pari modo, neque est impossibile ut cum aliis rebus communicari possit, Nullæ etenim facultates prorsus sunt incommunicabiles, iis exceptis, quæ natura includunt existentiam per se necessariam, & absolute independentem, ut causa equidem subordinata per se excitat, vel absolute sit independens, equidem contradictio, sed ut aliis facultatibus quibuscunque sit prædita, nihil plane obstat. Non sumus nescii defensores fati, esse persuasissimos potentiam incipiendi motum non aliud esse, quam vere esse independens, aut facultatem agendi a qualicunque alia causa superiore independenter. Sed hoc quid aliud quam verborum puerilis lusus. Potentia enim agendi hoc modo & hoc sensu pro arbitrio causæ supremæ communicata & durante eodem beneplacito continuata non est magis vera & absoluta independentia, quam potentia existendi & consciendi, aut facultas alia qualiscunque includit in se in-

dependentiam (Atheorum enim arbitror fore neminem qui gesti & affirmare hanc facultatem existentiæ per se esse continuam creationem quemadmodum facultatem per se movendi, continuum externum impulsum ponere solent) revera conceptu ita est arduum, quomodo consciendi vel percipiendi facultas communicari possit cum rebus creatis, quam est difficile percepta facultas *ex se* movendi cum illis sit communicabilis; nisi posueris perceptionem tantummodo esse passivam receptionem externi impulsus; rem autem non ita se habere, ita est evidens, quam triangulum non esse sonum, aut globum non esse colorem. Sed nemo hominum est qui dubitat, se juxta cum aliis omnibus non habere percipiendi facultatem: ergo & pari modo (quantumvis intellectu sit difficile, respectu modi, sed ut proxime ostendimus nihil in re esse contradictionis potentiam incipiendi motum communicari cum aliis posse) nullum arbitror cordatum virum dubitaturum quin & ipse hac facultate sit præditus. Continua enim experientia & quotidiana omnium observatio, ita stringunt & probant rei veri-

veritatem, ut nihil nisi expressa demonstratio probans rem sua natura contradictoriam in animum cujusvis injicere possit, quin certo certius ea facultate simus instructi. Imo si vel tantummodo, strictissimus quisque fatalista supponat, hominem facultate se movendi præditum, ex tali suppositione consequentias omnes enoscentet, in se, & in homine quoquo, facile inveniet: his itaque omnibus non obstantibus affirmare spiritus per quos & membra corporis movemus & mentis cogitationes dirigimus ab aëre solummodo & materia subtiliore esse motos; eandemque materiam subtilem iterum ab alia, non secus ac Horologii rotulæ moventur ponderibus, eademque pondera gravitatione pelli & sic porro, ita ut homo in se nullam habeat potentiam vel membrum movendi aut vel minimam cogitationem excitandi. Hæc, inquam, omnia ita experientiæ & rationi adversantur ut pudifieri debeat vehementer qui talia inania effutire non verentur, imo homo vel modicum prudens aut verecundus dubitaret de ingenii sui viribus potius, quam audacter absurditatem in medio proferre nullo alio sco-

H 3 po,

po, nisi ut evitet alteram. Sunt quidem nonnulli qui facultatem incipiendi motum in hominibus, utique negant, qui tamen contra ea iis tribuunt facultatem *determinandi* motum. Sed hoc merus verborum lusus, hæc etenim *determinatio* si nihil aliud est quam quod in saxis cernitur pilam palmariam ad certam viam & certo modo reflectentibus, hæc profecto determinatio plane nulla est, quod si homo determinet motum spirituum huc vel illuc pro libitu, hoc prorsus idem est cum *facultate incipiendi motum.*

III. Potentia infinita potest creaturam *arbitrio & libertate voluntatis.* Jure merito possemus esse contenti argumentis supra allatis ad ptobandam facultatem *se movendi* aut *incipiendi motum* esse possibilem (viz) cum libertas necessario inesse debet supremæ causæ (quod in capite nono hujus tractatus demonstravimus) neque difficilius esse ut communicetur, quam facultas se movendi, cum argumenta ab experientia & asservatione petita validiora sunt, quam alia esse possunt ex difficultate rei percipiendi petita, sed ut ut sit, cum quæ-

stio

ſtio hæc maximi eſt momenti, tum in rebus ſacris, tum in vita civili, & cum Spinoſa & Hobbeſius cum ſequacibus magna audacia & ſtrepita hanc propoſitionem negent, nos itaque & ſuperabundanter oſtendemus ſigillatim quam infirma ſint argumenta ex quibus probare volunt impoſſibilitatem libertatis in voluntate. An voluntas proprie loquendo ſit ſedes libertatis parum refert, neque de verbis litigo, cum non quæritur ubi, an omnino datur in homine libertas eligendi atque determinendi ſuas actiones, an vero contra actiones ſuæ omnes ſint neceſſariæ, quemadmodum motus horologii Spinoſæ atque Hobbeſii argumenta quibus negativam partem hujus quæſtionis probare conati ſunt, ad duo hæc commode reducuntur.

I. Quod cum quodvis effectum ab aliqua cauſa producatur oporteat, ergo quemadmodum quivis motus in corpore ab alio quonam corpore producitur & ſic in infinitum, pari modo ut quævis volitiæ & humanæ voluntatis determinatio ab aliqua cauſa producatur neceſſe eſt, & ea iterum ab alia & ſic porro ſine fine, & conſequen-

ter nullam prorsus dari volendi libertatem.

II. Cogitatio omnesque ejusmodi, volitio puta aliæque similes sunt qualitates & affectiones materiæ, & quandoquidem ipsam materiam neque motum incipere neque determinare possit nullo pacto ut manifestum est, hinc sequitur quoque impossibile esse dare libertatem volendi.

His Argumentis tres propositiones insequentes opponamus, quas & demonstrare conabimur.

1. Omne omnino effectum non posse productum causæ externæ cum plane oportet alicubi esse initium operationis sive potentia agendi a nulla præcedente causa acta, & quod tales potentia esse possit, & acta sit in *homine* constanter affirmamus.

2. Cogitatio, volitio, neque sunt neque esse possunt, qualitates materiæ, quamobrem neque hujus legibus obnoxia.

3. Posito casu animam non esse substantiam distinctam a corpore, & cogitationem, volitionem qualitates solummodo esse materiæ; neque hæc omnia, quicquam afficerent quæstionem præsentem, ut inde

pro-

probaretur quod libertas voluntatis omnino impossibilis.

I. Primam propositionem quod attinat omne nimirum effectum, non ab alia causa esse productum, sed oportere alicubi dari initium operationis & potentia agendi a nulla causa præcedenter acta & hanc potentiam posse & revera esse in homine, cujus propositionis partes singulæ supra in secundo & nono generaliore capite hujus tractatus probationes dedimus & in ea parte capitis decimi, ubi disputatur de possibilitate potentiæ se movendi cum rebus communicari creatis. Eodem repetere loco hoc, non est necesse, satis erit easdem ad Hobbesii & Spinosæ argumenta applicare eo usque tantummodo, ad demonstrandas quicquid ab illis contra libertatem voluntatis hoc capite oblatum, esse plane invalidum: illi vero hoc modo disputant. *Quicunque unquam effectus productus sit, productus est a causa necessaria, nam quod productum est, eo ipso quod productum est causam habuit integram, hoc est, omnia ea quibus suppositis effectum non sequi, intelligi non possit: Ea vero causa necessaria est,* Hobbes. Philosophia prima c.9. Cor-

Corpus motum vel quiescens ad motum vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatam fuit ab alio, & illud iterum ab alio, & sic in infinitum. Spinos. Ethic. Part. II. Prop. 13. Lemma. 3.

Unaquæque volitio non potest existere, neque ad operandum determinari, nisi ab alia causa determinetur, & hæc rursus ab alia & sic porro in infinitum. Ethic. Part. I. Prop. 32. Demonstrat.

Nihil a se ipso incipere sed aliquæ immediata causa præcedente extra se & consequenter homo quando primum quid desiderabat quod ante non desideraret, causa volendi non est voluntas ipsa, sed aliud quod penes se non est. Hobbes. Disp. cum Episcop. p. 289.

In mente nulla est absoluta sive libera voluntas, sed mens ad hoc vel illud volendum determinatur a causa, quæ etiam ab alia determinata est, & hæc iterum ab alia, & sic in infinitum, Spinosa Ethic. Part. II. Prop. 48. Ex quibus satis patet hosce homines non tantummodo libertatem in hominibus rejicere, sed etiam eam

causæ

causæ supremæ, quod expresse agnoscit Spinosa, *hinc sequitur, Deum non operari ex libertate voluntatis*, Ethic. Part. I. Coroll. ad Prop. 32. hinc videre est quicquid hi cum tanto conclusionum apparatu & verborum strepitu jactabundi ventilent, in unam hanc absurdissimam propositionem reduci nimirum, *nullibi esse, neque esse posse ullum principium motus neque initium generationis omnino, sed omnia æterna causarum dependentium & effectorum concatenatione sine ulla independentia aut origine causari necessario.* Omnia ita eorum argumenta supra in secundo & nono generali capite hujus libri confutata sunt, ubi necessario dari principium liberum motus & actionis infinitæ causarum dependentium esse absurdissimam, quam plane eadem opera ponit seriem rerum infinitam ab æterno productam iri a nihilo, quod idem est ac si dicerent, res in definito tempore a nihilo esse productas. (Nihil enim, sive in æternitate sive tempore definito nullum producere effectum.) Insuper ex abundanti probavimus, in capite decimo facultatem incipiendi motum non solummodo in sua na-

natura possibilem sed etiam *communicabilem* & acta cum *homine* de facto *communicatam*.

II. Cogitatio & volitio neque sunt neque esse possunt qualitates aut affectiones materiæ, & per Consequens neque ejus legibus sunt suppositæ. Substantiarum immaterialium possibilitas (quarum etenim nullam includit contradictionem) jam demonstrata est supra in hoc ipso capite. Porro cogitationem & volitionem potentias esse prorsus a soliditate, figura, motu diversas, quod si diversæ, neque illas ab illis oriri vel ex illis componi, etiam in octavo generali capite demonstratum est. Consequens est, ut cogitatio volitio esse possint, & revera sunt, substantiæ immaterialis qualitates aut attributa, nisi (quod faciunt nonnulli) rerum ideas inter se inepte confundamus per materiam intelligentes, non quod vox usu communi & recepto denotat solidam puta substantiam, divisionis, figuræ, motus capacem, sed aliam substantiam plane incognitam, qualitatibus diversis (a modo memoralis) donatam, in quo sensu vel si maxime cogitandi & volendi materia sit capax,

in

in hac nihilosegnius significatione (quod mox docebo) nihil causæ adversariorum inservire vel succurrere quicquam poterit, interea temporis quanta sit absurditas, supponere cogitationem & volitionem affectiones esse materiæ in propria & usitata significatione accepta, patet abunde sine ullo alio argumento extrinseco, vel recensione Explicationis Hobbesianæ obsonæ & perplexæ, de natura & origine sensationis & conscientiæ. *Ex quo intelligitur, sensionis immediatam causam in eo, quod sensionis organum primum & tangit & premit; Si enim organi pars extima prematur, illa cedente, premetur quoque pars, quæ versus interiora illi proxima est; & ita propagabitur pressio, sive motus ille, per partes organi omnes, usque ad intimum — — quoniam autem motui ab objecto per media ad organi partem intimam propagato, fit aliqua totius organi resistentia, sive reactio, per motum ipsius organi internum naturalem; fit propterea conatui ab objecto, conatus ab organo contrarius: Ut cum conatus ille ad intima, ultimus actus sit eorum, quæ fiunt in actu sensionis, tum* de-

demum ex eà reactione aliquandiu durante, ipsum existit phantasma, quod propter conatum versus externa, semper videtur tanquam aliquid situm citra organum. Hobbes. *de Sensione & motu animoli.* Porro *Phantasma est sentiendi Actus.* Id. ibid. *Causa sensionis est externum corpus sive objectum, quod premit organum proprium; & premendo (mediantibus & membranis) continuum efficit motum introrsum ad cerebrum & inde ad cor; unde nascitur cordis resistentia, & contra seu ἀντιτυπία, sive conatus cordis liberantis se a pressione per motum tendentem extrorsum; qui motus propterea apparet tanquam aliquid externum; atque apparitio hæc sive phantasma est id, quod vocamus sensionem.* Leviathan, cap. 1.

Sed quo spectant hæc omnia, & quid quæso ad sensionis explicationem contribuunt? Objectum impressionem sensorio communicat, equidem fatemur, & mediante organo phantasmata excitat aut imagines, hoc impressiones aliquas imprimit in cerebrum. Sed dic, te rogo, in quo consistit ista vis vel potentia hanc *impressionem* per-

percipiendi & ſentiendi? Et quid quæſo ſimilitudinis habet ea impreſſio cum perceptione in mente excitata? Profectò eam quam *quadratum* cum *colore quodam* puta *cæruleo*, aut *triangulum* cum *ſono*, aut *acus* cum *ſenſu doloris*, aut *reflectio pilæ palmariæ* cum *intellectu humano*, ita ut Hobeſii definitio ſenſionis, nempe eam natura ſua ſolummodo eſſe phantaſma aut imaginem in cerebro factam, per impreſsionem ab objecto communicatam, nihil aliud ſit, quam ſi colorem cœruleum definiret eſſe quadrati imaginem, aut ſonum eſſe picturam trianguli, aut denique dolorem eſſe imaginem aciculæ vel acus acutiſſimæ; nihil hic exaggeratur, nullum hic debito plus & juſto ulterius præter Autoris intentionẽm urgemus, quia ipſe confitetur rem ipſam. *Quæ qualitates omnes nominari ſolent ſenſibiles, & ſunt in ipſo objecto nihil aliud præter materiæ motum, quo objectum in organa ſenſuum diverſimode operatur, neque in nobis aliud ſunt, quam diverſi motus: motus enim nihil generat præter motum.* Leviathan c. 1. (quemadmodum pari modo manifeſtum eſt, figuram omneſque ejus quaſcunque compoſitio-

poſitiones nil poſſe producere præter figuram.) Si phantaſma itaque vel imago objecti per figuram & motum in cerebro facta ſit (ut ille ait) ſenſatio ipſa, non tum ſenſatio erit mera figura & motus? Omnes prædictæ abſurditates nonne genuinos ſuæ opinionis conſequentiæ? Hobbeſius inſuperabilis hujus difficultatis (quod antea monui) non prorſus videtur fuiſſe neſcius, ſed eum conſulto a lectoribus celat, illis plane imponendo, ambiguitate vocis *Phantaſma.* Sed ne quando premeretur ab adverſariis, & ut habeat, quo fugiat ad ſalutem, monet in tranſitu. *Scio fuiſſe Philoſophos quoſdam, eosdemque doctos, qui corpora omnia ſenſu prædita eſſe ſuſtinuerunt: nec video, ſi natura ſenſionis in reactione ſola collocaretur, quomodo refutari poſſint. Sed etſi ex reactione etiam corporum aliorum phantaſma aliquod naſceretur, illud tamen remoto objecto, ſtatim ceſſaret: nam niſi ad retinendum motum impreſſum, etiam remoto objecto, apta habeant organa, ut habeant animalia; ita tamen ſentient, ut nunquam ſenſiſſe ſe recordentur; —— ſenſioni ergo, quæ vulgo ita appellatur, neceſ-*

necessario adhæret memoria aliqua &c. Hobbes. Phys. cap. 25. sect. 5.

Itaque & sensioni adhæret proprie dictæ, ut ei aliqua insita sit perpetua phantasmatum varietas; ita ut aliud ab alio discerni possit, si supponemus enim esse hominem, oculis quidem claris cæterisque videndi organis recte se habentibus compositum, nullo autem alio sensu præditum, eumque ad eandem rem eodem semper colore & specie sine ulla vel minima varietate apparentem obversum esse; mihi certe, quicquid dicant alii, non videre videtur.—— Attonitum esse & fortasse aspectare eum, sed stupentem dicerem, videre non dicerem: Adeo sentire semper idem, & non sentire, ad idem recidunt. Id. ibid.

Hanc sententiam Hobbesius timide, parce & hæsitanter proponit, ut inde conjectari liceat, se nullam aliam ob causam, illam memorasse, nisi ut haberet sacram anchoram, ad quam fugeret, si superioris sententiæ absurditates illi forte objicerentur. In memorando hanc non immerito caute & parce se præstitit, cum hoc profecto subterfugium suæ sententiæ omni gradu absur-

ditatis æquale est (nempe cogitationem merum esse motum) quid quæso etenim absonius vel ineptius excogitari possit, quam supponere materiam ita esse essentialiter sui consciam, quam eam extensam novimus? Nonne inde sequeretur unamquamque materiam particulam, utpote ex infinitis partibus divisibilibus simul & ex conscientiis infinitis, & infinita confusione esse compositam? Sed pudet nos plures memorare absurditates, ex hac monstrosa opinione emanantes, ne nauseam creemus lectoribus. Alii quidem, qui cogitationem materiæ affectionem affirmant, ab opinionibus prædictis prudentius abstinent, satis habentes dicere, Deum pro suo arbitrio, nonnullas materiæ compages donare facultate cogitandi. Sed hæc plane est insignificans & nullius pretii assertio. Idea etenim quam habemus de materia vera sit aut falsa necesse est. Si vera Idea sit, materiam nihil aliud esse, quam substantiam solidam divisionis, figuræ & motus capacem, aliarumque compositionum ex illis nascentium, ut nobis omni severiore examiue habito constanter videtur: tum impossibile est, ut ad

ad materiam cogitatio referatur, quippe quæ ex nullis materiæ modificationibus, qualitatibus aut compositionibus quibusvis oriri poterit cogitatio: quod si quis retulerit dicendo ideam nostram de materia esse minus rectam, cum per materiam se non intelligere (cum aliis hominibus) substantiam solidam capacem solummodo divisionis, figuræ & motus, juxta cum effectis variarum suarum compositionum, sed substantiam plane aliam cogitationis multarumque præterea aliarum qualitatum incognitarum capacem, tum plane pueriliter ludit in significatione vocis *materia*, illi novam notationem tribuendo, ab usu vulgari separatissimus, ut ille per materiam intelligere videatur quod nos intelligimus per *substantiam*. Et in hoc sensu, si supponamus cogitationem aut ullam qualitatem aliam activam inesse materiæ, quatenus substantiæ, tamen de qua nullam habemus ideam; nihil sane facit ad rem præsentem, ut inde quid subsidii percipiant adversarii, quia nullo modo est luculentior modus loquendi, quam si hasce qualitates (quod nos facimus) tribuisset substantiæ im-

materiali & matariæ ideam omnes qualitates distinctas & separatas ponendo. Nam affirmo.

III. Posito semel (secundum horum perturbatam viam disputandi) animam a corpore vere non esse distinctam substantiam sed cogitationem & volitionem meras proprietates materiæ esse; Et hoc quoque ne minimem hanc quæstionem de *libertate*, mutare posset, neque multo minus probare libertatem voluntatis esse impossibilem. Quoniam demonstratum est supra, cogitationem & volitionem non posse effectus aut compositiones ex figura & motu conflatas; quibuscunque ideo posuerit cogitationem & volitionem qualitates materiæ, oportet etiam supponat, materiam esse capacem nonnullarum qualitatum prorsus a figura & motu diversarum, & per consequens nunquam probabis propterea, quod motus & figuræ effectus sint necessarii, etiam qualitates ab illis toto cœlo diversas, fore necessarias.

Hobbesius ergo juxta cum asseclis turpissimam committunt fallaciam in eo argumento, cui potissimum nituntur, supponendo

nendo enim materiam cepacem cogitationis & bolitionis, animam concludunt esse meram materiam. Et vivendo effectus figuræ & motus omnes esse necessarios, volunt quoque animæ operationes esse quoque necessarias: hoc est, quando probare volunt animam esse puram materiam, tum supponunt materiam non solummodo figuræ & motus, sed adhæc aliarum qualitatum incognitarum subjectum capax esse: Et cum in eo sunt, ut probent voluntatem omnesque alias animæ operationes esse necessarias, tum rursus *materiam* omnibus qualitatibus suis incognitis, privant, & plane & eam definiunt, esse nihil aliud quam soliditatem figura & motu præditam. Proptərea vocis *materiæ* ambiguitatibus quibus utuntur remotis, ad hasce concessiones necessario reducuntur, quarum unam necessario nobis largiantur. Si intelligant per materiam solidam substantiam solummodo figura & motu præditam, cum anima non potest esse mera materia, quoniam (fatente Hobbesio) figura & motus nihil præter figuram & motum possunt producere, & consequenter (quod antea

ostendimus) ne unam secundariam aliquam qualitatem possunt producere, (sonum puta colorem vel his similia) multo minus cogitationem aut ratiocinationem. Unde sequitur, quod cum necessario sit anima substantia immaterialis, illis nulla suppeditantur argumenta, quibus possunt eam probare potentia, potentiam incipiandi motum non esse præditam, quod plane includit libertatem. Quod si contra, per materiam intellexerint substantiam incognitam, qualitatibus a motu & figura differentibus præditam; tum non possunt disputare contra possibilitatem libertatis ex effectis figuræ & motus, quæ semper sunt prorsus necessaria, quia libertas non includitur in motu & figura, sed in illis aliis incognitis materiæ proprietatibus, quas Athei non melius explicare possunt, quam substantias immateriales. Ergo quod res est ut dicamus, necesse est supponant excogitationem aliquam ex figura & motu, si quid suis argumentis quid ponderis adjicere voluerint, contra *libertatem*, & tum non erit quæstio num Deus possit facere, ut materia necne (quia tum voce materia solummodo abuteren-

terentur in ſenſu plane hactenus ignoto ad denotandam ſubſtantiam in genere) ſed quæſtio eſt, utrum figura & motus in quibusvis compoſitionibus aut diviſionibus abſolute poſſe eſſe perceptio aut cogitatio, quod (ut ſupra) idem eſt, ac ſi quis rogaverit, utrum poſſe fieri ut triangulum ſit ſonus, aut globus color. Uno verbo huc redeunt omnia, ſi anima ſit ſubſtantia immaterialis (& ut ſit plane neceſſe eſt ſi rectam de materia habeamus ideam) tum omnia Argumenta Hobbeſiana a materiæ proprietatibus petita, futilia ſunt prorſus, & nullius pretii: Quod ſi Adverſarii abſurde ſuſtinere auſint, animam nihil eſſe niſi materiam; tum per materiam opus eſt ut intelligant ſubſtantiam incognitam, tum activis tum paſſivis proprietatibus donatam, quod profecto & confundit ideam quam habemus de materia, & ſimul funditus deſtruit ſua argumenta adverſus *libertatem* ſolum proprietatibus materiæ obviis fundata; aut oportet loquantur clare quod ſentiunt, nempe cogitationem & volitionem eſſe effecta ex compoſitione figuræ & motus orta & præterea nihil, quod jam o-

ſtendimus expreſſam eſſe contradictionem.

Sunt & nonnulla alia argumenta contra poſſibilitatem libertatis vulgo oblata, quæ quidem ex reſponſionibus ad ea datis devenerunt illuſtria, cum revera quæſtionem non reſpiciunt, ſed ab ea plane aliena, v. gr. ea quæ ex neceſſitate ut voluntas determinetur ab ultimo dictamine intellectus, aut ex certitudine præſcientiæ divinæ derivata; primam quod attinet, nempe voluntatem, neceſſario ſequi ultimum judicium intellectus: hæc ſolummodo eſt neceſſitas hypothetica, id eſt neceſſario hominem quid velle, quando acta id velle ſupponitur, ac ſi dixeris omne id quod eſt, neceſſario eſſe: quando enim acta eſt, non poteſt non eſſe. Ultimum etenim judicium intellectus quam ultima eſt noſtre determinatio (poſt conſiderationem plus vel minus habitam) aliquid eligendi vel non eligendi, quod reapſe coincidit cum ipſa volitione. Inſuper ponamus ultimum intellectus judicium vere eſſe diſtinctum, ab actu volendi, & unum neceſſario producere alterum. Sequeretur inde ſolummodo *moralis* & non proprie *phyſica*

physica necessitas, id est *nulla esset plane necessitas* in sensu illorum qui oppugnant libertatem. Moralis enim necessitas quamoptime convenit, cum perfectissima naturali libertate. Ex. gr. homo ab omni dolore corporis & animi turbatione liber, temerariam esse judicat sibi violentas manus injicere, aut minimum lædere, & dum a nulla temptatione aut violentia externa exagitatus, nullo modo prorsus contra judicium suum potest agere; non quod illi dessit facultas aut potentia naturalis id patrendi, sed quia absurdum & moraliter impossibile, ut tale quid eligat, & non alia de causa creaturæ aliæ rationales nobis natura sua nobiliores, non possunt peccare vel male agere, non quod illis desit naturalis potentia ad *actionem* talem eliciendi, sed quia moraliter & impossibile ut creaturæ perfectissima cognitione boni præditi, uulla temperitas, ut tamen earum voluntas se determinet ad multe & inepte agendum; non sumus nescii libertate oppugnatores, hic asserere nullam scilicet esse differentiam inter necessitatem physicam & moralem, homo a dolore corporis

&

& turbatione animi liber, ideo inquiunt se lædere non potest, quoniam neque intellectus neque voluntas ad ullam actionem sine aliquo impulsu externo amborum respectu determinari possit, magis quam unum movere possit priusquam ab alio impellatur, sed hoc quid aliud quam transire ex uno argumento ad alterum, deserunt quippe argumentum a necessitate voluntatis sequentis ultima judicium intellectus, recurrendo ad impossibilitatem absolutam *principii se movendi*, quod supra satis superque destruximus.

Alia quæ memoravimus argumenta a certitudine præscientiæ divinæ mutuata, pari modo ab hac præsenti disputatione sunt plane aliena, si etenim non dentur alia argumenta, quibus antecedenter demonstrari possit omnes actiones esse *necessarias*, manifestum est hoc ex sola præscientia divina nunquam demonstratum iri. Nimirum si propter nullas alias rationes nihil obstet, quo minus actiones hominum sint liberæ, nudam præsentiam divinam eorum libertatem impedire nullo modo demonstrari poterit, & consequenter præscientiæ divinæ certi-

certitudo separatim sumpta, nihil plane ad propositum, sed quæstionem præsentem de libertate prætergreditur. Alia quod attinet argumenta, qua solent cum hac quæstione interferi possim ab adversariis, supra satis fuere soluta singulatim. Constat itaque certitudinem præscientiæ divinæ haudquaquam adversari eam libertatem voluntatis, præscientia enim, qua talis nihil prorsus afficit in ullo quovis respectu, modum existendi rei cujuscumque, quicquid voluntatis oppugnatores, unqam ad hoc caput adduxerunt vel adducere poterunt, huc redit; Præscientiam nimirum denutare certitudinem, & certitudinem innuere necessitatem; sed falsum est certitudinem ponere necessitatem; præscientia etenim nullam aliam ponit certitudinem, quam illam, qnæ esset in rebus, etiamsi nulla esset præscientia.

Præscientiæ certitudo non causatur rerum certitudinem, sed ea ipsa veritati existentiæ earum nititur. Quicquid enim jam est, id certissimum est, & heri quoque æque erat certum, hodie fore quam hodie sit certum Id existere. Et hæc certitudo eventu

venta est semper eadem, sive eam supponas præcognitam sive non. Quicquid etenim ullo tempore existit, ab æterno certum fuit respectu eventus rem *fore*. Neque minus fuisset prima hæc eventus certitudo, vel si nulla esset præscientia. Nuda itaque & mera præscientia nullam exercet influentiam omnino in ullam rem quamcunque, neque contribuit quicquam ad eam reddendam necessariam. Possumus quodammodo hoc illustrare ex nostro modo cognoscendi, e. gr. certo novimus res nonnullas esse & quando eas existere novimus, non possunt non existere, sed paret nostram cognitionem res ipsas nullo modo afficere ut sint magis necessariæ, aut in se certiores. Præscientia autem in Deo est eadem cum cognitone, omnia enim illi sunt æque præsentia omnimode sive cognitionem sive potentiam respexeris, plene & perfectissime novit res omnes quæ existunt sigillatim. Et quemadmodum novit omnia quæ acta sunt, eodem modo omnia distincte præfuit quæ futura sunt. Et sicut videmus nullum in res existentes cognitionem habere influentiam, sic neque præscien-

ſcientia in res futuras. Verum quidem eſt, modum quo Deus novit, niſi cauſarum concatenatione poſita, nobis eſſe plane ignotum; Sed multa alia quoque nobis plane latent reſpectu modi operandi, de quorum tamen veritate nulli dubitamus. Et ſi quid eſſet in hoc argumento ponderis non ſolummodo libertatis probaret ſed etiam præſcientiæ impoſſibilitatem; Nam ſi hæc duæ eſſent prorſus incompatibilia, ut una neceſſario deſtruatur. Doctrina fatalitatis abſolutæ & univerſalis, quæ omnem religionem & moralitatem radicitus extirpat, magis adhuc ad vituperium & imminutionem ſupremi Numinis facit, quam negatio ſuæ præſcientiæ faceret, quæ omnino hac hypotheſi eſſet impoſſibilis & contradictoria. Et caſus hic eſt longe alius, quamvis enim non poſſumus rite exponere quomodo actiones cauſarum liberarum præſcire poſſit, hoc ſaltem ſatis novimus, libertatem actionum quorumcunque natura ſua liberorum, omnino a præſcientia Dei non minui neque impediri; cum manifeſtum ſit, præſcientiam nulli rei omnino aliam certitudinem ponere, quam antea ha-

habuit etsi nulla fuisset præsentia. Nisi itaque antecedenter simus certi, rem nullam posse esse liberam, & libertatem natura sua implicare contradictionem (quod res non ita se habere supra satis ostendimus) mera præscientia utpote naturam rerum ne levissime immutans, quæ commodissime cum summa libertate convenire judicamus, quanta sit difficultas comprehendendi modum hujus præcognitionis. Nam si libertas sit possibilis, mera actionis liberæ prævisio antequam in actum eliciatur, aut priusquam fiat (respectu scilicet præsentis quæstionis) nihil differt a *simplici* ejusdem actionis *cognitione*, jam in actum productæ: ambæ enim hæ cognitiones certitudinem implicantes, quæ sine ulla præcognitione æque esset stabilis & immutabilis.

II. Quæ cum ita se habet manifesta res est, hanc certitudinem eventu nullo prorsus modo implicare necessitatem. Nam si fatalista modo supposuerit (novimus utique illum id negare) hac vice saltem nobiscum, homini inesse facultatem se movendi & motum incipiendi, hoc est libere agendi, supponat quoque si videbitur, istas actio-

actiones præcognita omnino impossibiles, nonne adhuc suppositione ista nihil obstante, eodem plane esset certitudo eventus ex parte rei, in omnibus hominis actionibus, non secus ac si eas posuisset quam maxime fatales & necessarias. E. gr. ponamus hominem interno principio motus libersatis nullo atimo cogente impulsu, aliquam actionem hodie agere, ponamus adhæc esse plane impossibile ut heri præcognita esse potuissent. Nonne nihilo seghius, respectu eventus eadem fuisset certitudo? i. e. libertate istius hominis non obstante, non æque fuisset certa veritas, hanc actionem hodie esse eventu perficiendam, (quantumvis prævisu imposfibilis) quum jam certum est eam esse perfectam? ex hisce firmiter concludimus, præscientiam præter certitudinem eventus, nullam aliam implicare necesfitatem.

Natura libertatis quemadmodum speramus satis perspicue explicata & probata, licet inferamus ex dictis, nos commodissime hoc loco satisfacere quæstioni apud antiquos celebri neque minoris momensi, *πόθεν τὸ κακὸν velundo origo mali.* Cum liber-

libertas etenim tum bene tum male agendi, potentiam naturalem denotet. Et natura rerum finitarum imperfecta, id committens ut valde sit possibile, fore ut actu, male agendo sua libertate abutantur. Et cum etiam respectu pulchritudinis & salutis universæ & communis boni, & ad Dei sapientiam magis probandam, cum plane necesse est variæ dentur creaturæ, aliæ aliis dignitate & naturæ nobilitate perfectiores, inde sequitur mali possibilitas, etiamsi creator in se bonus & infinite optimus. Ut paucis rem expediamus, quicquid *mali* nomine insigniri solet, aut est malum imperfectionis, defectus puta facultatis alicujus naturalis, aut excellentiæ, quibus nonnullæ aliæ creaturæ gaudere videntur; aut malum naturale ut dolor, mors & his similia, aut denique malum morale ut vitium cujusvis generis horum primum proprie loquendo, non est malum: omnis enim facultas aut perfectio quibus ulla creaturæ est prædita, utpote Dei donam plane liberum, quod nullo ex debito sed pro arbitrio suo, cum illis communicat non secus quam existentiam ipsam, inde patet ma-

manifesto, defectum alicujus facultatis aut perfectionis quæ ad hujus vel alius creaturæ naturam nunquam pertinuit, non proprius illis potest haberi malum, quam illis fuisset non existentia, posito eas nondum esse creatas. Secundum mali genus, quod vocamus naturale; aut, ex priore necessario est consequens. Quemadmodum mors creaturæ nulla immortalitate præditæ, & hoc sensu non magis malum quam alterum supra memoratum, aut in genere alio bono æquipollenti aut majore præponderatur, sicuti afflictiones & ærunæ bonorum, & tum re vera non est malum; aut denique supplicii aut pœnæ habet rationem, & ita consequens est necessarium mali tertii generis, puta moralis, quod omnino ab abusu libertatis oritur, quam Deus creaturis suis propter alios fines (puta) ad majorem perfectionem, & totius creationis pulchriorem ordinem impertiit Deus, illi tamen contra intentionem divinam & præceptum eo temere sunt abusi, in suum detrimentum & perversionem, quod ad universi perfectionem valde erat necessarium, & hoc modo ortum suum habuit malum, sine ulla

minima minutione bonitatis infinitæ Dei Opt. Max. qui omnia & creavit & dirigit.

XI. *Causa suprema & Author omnium rerum, necessario debet esse infinite sapiens.* Hæc propositio ex aliis superius probatis necessario sequitur, quapropter neque opus est ut huic multum inhæreamus. Cum evidentius nihil est aut clarius, quam quod Ens infinitum, omnipræsens & intelligens omnia perfecte noscat quæ existunt, & quod ille qui unus est per se existens & æternus, & omnium rerum Author, & a quo potentiæ omnes derivantur & dependent, continuo etiam scire debeat & possibilitatem omnem rerum futurarum, & quid quoquo respectu commodius & sapientius agendum, & utpote omnipotens nunquam veniet impediendus aut prohibendus quo minus efficiat id quod aptissime agendum esse judicat. Hinc sequitur quod omne effectum causæ supremæ debeat esse infinitæ sapientiæ productum. Sed speciatim: Causa suprema utpote infinita, ubique sit præsens necesse est: & quia est intelligentia, vel mens infinita, quocunque ergo ea ipsa causa suprema præsens est, & ibidem est sua cognitio, quæ a sua

ſua exiſtentia eſt inſeparabilis, ideoque & hæc debet eſſe infinita quoque: & ubicunque adſit ſua infinita ſcientia, omnia habeat in conſpectu plene & perfecte, ut illius aciem refugiat plane nihil, neceſſe eſt: includit enim ſua infinita præſentia, & circumdat omnia & viſu perſpicaciſſimo in eſſentiam rei cujusque penetret, imo receſſus quosque magis abditos & creaturarum rationalium intentiones, cogitationes quasque ſecretas, obvias habet & perſpectas. Adhæc, cum non ſolummodo omnia illi ſint cognita, ſed etiam ab eo plane dependentia, ut & eſſentiam facultatesque omnes illi acceptas referant. Abunde ergo conſtat, ſicut ille omnia novit quæ exiſtunt, ita pari modo omnia poſſibilia ſciat neceſſe eſt: quippe qui cum unus ex ſe exiſtens, omnibus & ſingulis facultates quibus prædita ſunt donaverit. Manifeſtum eſt, illum iſtas facultates a ſeſe derivatas habere plene cognitas, ut optime intelligat quid quaque harum producendi ſit capax atque uno intuitu mentis infinitæ omnes quasque compoſitiones, diviſiones, mutationes, circumſtantias & rerum dependentias, relationes, diſpoſitiones, ad aliquos fines aptas, ſemel

ac ſimul, ac ſi præſentes comprehendat omnes. Oportet præter ea absque ulla poſſibilitate erroris, in infinitis caſibus, & rerum diſponendarum methodis quid aptius & optimum factu plene & penitus cognoſcat, denique quomodo apta media ſunt commodiſſime diſponenda, ad ea perficienda, quæ reſpectu univerſi novit eſſe aptiſſima. Hoc eſt, quod per ſapientiam infinitam intelligimus & cum antea demonſtraverimus (quod quidem per ſe notum) Cauſam ſupremam pariter eſſe omnipotentem, ita ut non magis reveniri oppoſitionibus & vi aliena, quam erroribus impediri poſſit, quo minus efficiat ſemper quod aptiſſimum atque ſapientiſſimum factu: hinc invicte ſequitur illum eſſe actu, modo excellentiſſimo atque perfectiſſimo infinite ſapientem, & univerſum omniaque in eo contenta, neceſſario effecta eſſe infinitæ ſapientiæ. Hæc demonſtratio eſt a *priori*: ſapientiæ infinitæ probatio etiam a *poſteriori* petita, a ſumma operum ſuorum perfectione non eſt minus vinciens & invicta. Sed hoc argumentum non eſt quod multis urgeam, utpote tum ab antiquis, cum a recentioribus dextra.

dextre & docte ſit explicatum, in atheiſmi æternum opprobrium & confuſionem. Hoc unum notandum velim, quo magis inquiritur in rerum naturam, experimentis, obſervationibus practicis detur opera, imo quo mundus labentibus ſeculis vel ætate ſit profectior; eo magis indies magisque veritas hujus argumenti eluceſcit; quod clare innuit veritati eſſe fretum. Si Galenus multa ante ſecula, potuerit tot ſigna & certa veſtigia alicujus mentis, omnia in corporis humani ſtructura intendentis & mire diſponentis, ut ſuo tempore fuerit coactus admirari ſapientiam ſui Authoris, in quam non admirationis exſtaſin raptus fuiſſet & quid non admirabundus dixiſſet, ſi in Anatomia, rebus naturalibus novisſima inventa vidiſſet, circulationem puta ſanguinis, admirabilem & accuratiſſimam cerebri & cordis ſtructuram, glandium & valvorum pene innumerabilium ad ſecernendos & promovendos ſuccos varios in corpore, præter venas, arterias, vaſaque alia bene multa *ſuo tempore* prorſus incognita, ſed felicioribus his temporibus detecta, ut ſerviant ſcopis & finibus ſapientisſimis a con-

ditore sibi destinato propositis? Si ea Argumenta Epicuri & asseclarum contra existentiam summiNuminis a defectibus,in constructione & dispositione universi deprompta, iis temporibus (dum philosophia naturalis in suis incunabulis & fasciis adhuc infans) videbantur majori longe porti humani generis inconsequentia & inaptissima. Hisce diebus Atheos profecto magnopere pudere debet cum experientia melius edocti, vel inviti videant, istos quos somniabant defectus & errores in dispositione rerum, admodum facere in conservationem & utilitatem universi? Et ne nimius sim: Si M. Tullius Cicero ex cognitione Astronomiæ manca satis & imperfecta, ita certior esset corpora cœlestia mota esse & disposita a mente aliqua intelligentissima, ut non dubitaret dicere: eos qui contrarium affirmarent, vecordes esse & ineptos. *Cæterum ergo admirabilem ordinem incredibilemque constantiam, ex qua conservatio & salus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat, is ipse mentis expers habendus est. De natura Deorum.* Quid quæso dixisset, si in Astronomia novissimas inven-

ventiones cognovisset? Immensam mundi magnitudinem (istius partis magnitudinem intelligimus, quæ inquisitionibus & observationibus nostris obvia) quæ tanto mundum tum temporis cognitum, facile superat, quanto mundus ipse secundum illorum systema, superabat Sphæram Archimedis? Exquisita planetarum omnium in suis motibus, sine Epicylis, stationibus, retrogradationibus, aut ulla alia deviatione aut confusione qualicunque? Incredibilis aliqua atque delicatissima primariæ velocitatis & directionis in animali motu planetarum accommodatio, juxta cum distantia a centro & versus idem gravitatio? stupenda quoque proportio diurni motus terræ aliarumque planetarum circa sua centra, ad distinctionem diei & noctis, sine ista incondita totius cœli circumrotatione, ab antiquis Astronomis necessario posita. Huc egregia verba nobilissimi *Neutonis* aptissime referuntur: *Planetarum densitates fere sunt, ut radices diametrorum apparentium applicata ad diametros veros, hoc est, reciproce ut distantia planetarum a sole, ducta in radices diametrorum ap-*

parentium. Collocavit igitur Deus Planetas in diversis distantiis a sole, ut quilibet pro gradu densitatis, calore solis majore vel minore fruatur, Neuton. Princip. Lib. 3. Prop. 8. ita ut Planetæ suæ soli viciniores, ne quicquam a nimio calore, neque aliæ quæ ab eo sunt longinquiores a nimio frigore patiantur injurias: sed unaquæque tanta temperatura ad suos usus gaudens, quanta ipsa terra ad nostros usus gaudere experimur? Ordo Insuper, numerus & usus multarum lunarum (ut ita eas non temere appellem) Antiquis protsus incognitarum, sed nostris diebus telescoporum beneficio distincte satis circa planetas suas proprias movere percipiuntur, quarum motus ita bene sunt cognitæ, ut earum Eclypsis eam exacte quam Eclypsis lunaris nostra, ad calculum possint reduci & prædici possit. Admirabilis denique regularitas motus nostri lunaris circa suum centrum semel in mense ejusque eodem spatio temporis circa terram motus, cum tanta exactitudinis constantia, ut hoc modo eadem plane facies sine ulla notabili differentia terræ perpetuo sit obversa? Quid inquam diceret ille

le *Marcus Tullius Cicero* ratiocinandi arte & judicandi omnium facile princeps, ut erant sua tempora, si novissimorum seculorum detectiones & inventa Dei sapientiam mirandum in modum ostendentia, in sua ætate fuissent cognita? Atheismus certe qui cristas erigere non est ausus propter vim argumentorum ab hoc fonte haustorum tempore Ciceronis, quanto minus hoc seculo comparere debet post tot subsidia nova & auxiliaria argumenta quotidie inventa, quæ singula invicte sapientiam creatoris in operibus suis demonstrant. Hinc etiam videre licet jure merito Authorem libri ecclesiastici pulchritudine solis, stellarum, reliquorum operum visibilium Dei omnium eleganter ante descripta, ita concludere (quod non obstantibus omnibus nostris nuperrimis detectionibus in perpetuum dicendum erit) cap. 43. vers. 32.

XII. *Denique Causa suprema & rerum omnium Author necessarie debet esse Ens infinite bonum justum & verax omnibusque aliis perfectionibus praditum,* quæ Enti Supremo, & Universi moderatori optimo conveniant diversas variasque rerum relatio-

nes, & inter se dari respectus varios, ita est manifestum, quam diversas res in universo existere: a quibus quoque relationibus diversis differentium rerum necessario oriri harmoniam, aut discrepantiam, in res ipsas, in applicatione unius rei ad alteram, in dictis variis diversisque respectibus, certissimum est. Adde huc dari quoque certarum circumstantiarum convenientiam vel aptitudinem ad certas personas, ad alteras vero, inconvenientiam vel ineptitudinem, naturæ rerum vel personarum indoli innixam; omnem voluntatem aut propositum sive arbitrarium sive positivum, quodcunque, antecedentem ab omnibus agnoscendum veniet; qui non ajunt æque esse justum & conveniens ex natura rei ut natura innocens daret pœnas intensissimas & æternas quam ut ab his sit liberum. Datur itaque necessario & in perpetuum aptitudo & ineptitudo in rerum natura & notione fundata. Denuo inquam has relationes absolute & necessario revera existere, & tales omnibus creaturis rationalibus dilucide videri, nisi illis spiritu contradictionis percitis, omnia aliter quam in se sunt in-

intuentibus (i. e.) quorum intellectus aut admodum est debilis & infirmus, aut prorsus corruptis moribus depravatus. Et secundum harum diversarum naturalium relationem, notitiam vel cognitionem, omnes creaturarum actiones constanter diriguntur (quod in transitu ut moneamus, omnis moralitatis est basis & fundamentum) nisi forte voluntas pravis moribus corrupta, aut affectibus aliquibus prævalentibus in diversum distrahatur. Causa suprema igitur & rerum omnium conditor, cum (ut antea diximus) necessario infinitam cognitionem & sapientiam habeat perfectissimam, ita ut plane sit impossibile vel minimum erret, ut ullo modo, verarum relationum aptitudinem vel ineptitudinem quæ res diversas respiciunt, sit ignarus, deceptus aut aliunde impeditus in hoc negotio: Et cum pariter sit per se existens, absolute independens & omnipotens, ita ut illi cum nihil plane desit, fieri non potest quin ejus voluntas nullo pravo affectu dominari possit. Patet vel hinc manifestissime necessario illum oportere (non fatalem necessitatem sed moralem, de qua supra, intelligimus) semper

agere

agere quod factu aptissimum & optimum noverit. Nimirum semper debet agere secundum strictissimas & bonitatis, justitiæ & veritatis omniumque aliarum moralium perfectionum normas. Cumprimis certe, causa suprema necessario esse debet infinite bona, hoc est in perpetuum proclivis & propensa modo immutabili, ad bene agendum, nec non ad suam bonitatem & felicitatem cum aliis communicandam, quippe quæ infinite beata fruitione sui ipsius, atque infinitarum quoque perfectionum; nulla omnino adest ratio (quoad novimus) quamobrem ullas conderet creaturas nisi ut cum illis suas perfectiones liberaliter & benigne communicare possit, pro vario earum captu & conditione varia, ex natura sua dissimili orto, quemadmodum modo infinitæ sapientiæ convenienti produci debuit, & pro diversa proficientia & cultura dotum illis benigne concessarum, ex eâ libertate creaturarum rationalium quæ illis est essentialis. Porro quod infinite bona esse debet Causa Suprema, vel inde patet quippe quæ est omnisufficiens, ab omni malitia, invidia aliisque tempationibus

bus male agendi necesse sit longe remotissima, cum hæc vitia sint defectus, impotentiæ & depravationis manifestissima effecta. Causa Suprema & rerum omnium opifex, pari modo infinite justus esse debet, cum norma æquitatis nihil aliud sit præter *rerum naturam* & *relationes* necessarias ad se invicem a Deo positas. Et justitia executiva, non sit alia quam accommodatio rerum circumstantias ad qualificationes personarum secundum istam originariam convenientiam aut aptitudinem, quam antea necessario existere ostendimus antecedenter ad omnem voluntatem & positiva proposita, quamobrem summe necessarium est ut illa Causa quæ æquitatis normam recte noverit, & de rebus judicat, sicut revera in se sunt, & adhæc plenam habeat potentiam exequendi justitiam secundum suam notitiam, quæque nulla qualicunque templatione vel minimum ab ea deflectere possit, quæ neque decipi ab alio, neque ullo affectu flecti vel ab ulla potentia dominari possit, necessario debet in perpetuum juste agere sine iniquitate, partialitate, præjudicio, aut respectu personarum.

De-

Denique oportere causam primam esse veracem & fidelem in omnibus suis declarationibus& pollicitationibus manifestissimum est; quia omnes possibiles mentiendi & falsificandi rationes, vel a temeritate, oblivione, inconstantia, impotentia, metu mali aut a spe lucri deriventur, necesse est; a quibus omnibus, causa infinite sapiens & omnisufficiens & optima, longissime ut remota sit, oportet; & consequenter quemadmodum ipse decipi, ita quoque decipere alios non potest: Ουκ ἔστιν οὗ ἕνεκα ἂν θεὸς ψεύδοιτο— κομιδῆ ἄρα ὁ θεὸς ἁπλοῦν καὶ ἀληθὲς, ἔν τε ἔργῳ καὶ λόγῳ· καὶ οὔτε αὐτὸς μεθίσταται· οὔτε ἄλλους ἐξαπατᾷ· οὔτε κατὰ φαντασίας· οὔτε κατὰ λόγους· οὔτε κατὰ σημείων πομπὰς· οὔθ' ὕπαρ οὐδ' ὄναρ. Plato de Repub. lib. 2. sub. finem. Uno verbo, omne genus mali & imperfectionis cujuscunque, aut ab infirmitate intellectus, defectu potentiæ, aut ex irregularitate voluntatis ortum omnino deducere in propatulo est, quorum ultima derivata cum primis ex corruptione aut depravatione cum quid aliud est, quam electio directa agendi contra rationem rectam, & naturam rerum; a quibus omnibus cum causa suprema

ma quam maxime abhorreat, conſequens eſt neçeſſarium ut Ens ſit infinitæ bonitatis, juſtitiæ, veritatis omniumqne aliarum perfectionum moralium.

Huic Argumentationi a priori nihil quantum novimus, reponi poſſit niſi una tantummodo objectiuncula a poſteriori ſumpta, ex experientia & obſervatione inæqualis diſtributionis providentiæ in univerſo. Sed (ut nihil dicam de vindicatione ſapientiæ & bonitatis providentiæ in ſuis diſtributionibus vel reſpectu hujus ſolummodo a Plutarcho aliiſque Æthnicis Scriptoribus accuratiſſimo judicio facta) objectio ipſa a quæſtione eſt alienisſima, quoniam ex partiali intuitu diſpenſationum Dei (imo cujusvis alius qui ſummæ rerum præeſt) nullum temere ferendum eſt judicium, ſed ex matura omnium partium deliberatione, quamobrem ſolummodo quæ jam nobis obvia, ſed etiam illa quæ fuerunt & quæ ſunt futura diligenter ſunt conferenda, quod ſi æqua lance fecerimus, omnia apparebunt optime & juſtiſſime eſſe effecta.

Attributis Dei ita explicatis ſequitur, quod,

I. Omnes

I, Omnes Actiones divinæ quamvis omnino liberæ, & per consequens exercitium perfectionum suarum moralium non possunt dici necessarie eadem significatione *necessitatis* qua existentiam & æternitatem necessariam suam esse asseruimus; nihilominus tamen hæ perfectiones morales vere & realiter sunt necessariæ, tali scilicet necessitate quæ quidem cum summa libertate, quamvis non sit inconsistens, nihilosecius ita est certa & infallibilis, & cui fidere possimus, quam ipsa Dei existentia aut æternitas. Quamvis etenim nihil certius esse potest (quod supra propositione nonā ostendimus) quam quæ Deum agere non necessario, sed libere cum certo concilio & intentione; novit enim se bene agere & ita sibi proponere liberrime ex suo arbitrio, nullam aliam causam eum ad agendum adigentem agnoscens, præter suam bonitatem, quæ voluntatem pronam reddit, ad se ipsum communicandum, & ad bene agendum, ita ut divina natura, nullæ aliæ necessitati sit obnoxia, nisi tali, quæ quamoptime cum summa libertate convenit: (& hoc est fundamentum omnium invocationum

num nostrarum precum, atque gratiarum actionum) attamen ita est omnino & absolute impossibile ut Deus non faciat (multo minus quid contrarium) quod attributa sua moralia agenda postulant, non secus ac si esset re vera non liberum ens sed necessarium. Hujus rei ratio clara est, quoniam infinita cognitio, cum potentia & bonitate infinita conjunctissime unita, potest omnino, non obstante libertate & electione agendi, cum tanta certitudine & constantia agere, quam necessitas fatalis agere supponitur vel supponi possit: imo aliter non possunt agere, libertas quippe in ente infinitæ cognitionis, bonitatis atque potentiæ, non magis contra has perfectiones potest agere, quam cognitio potest esse ignorantia, aut potentia fieri debilitas, aut ut bonitas fiat malitia; ita ut in tali Ente libertas principium sit æque certum & constans, quam *ipsius fati* necessitas. Possimus itaque æque certe & infallibiliter attributis Dei moralibus inniti & fidere, quam naturalibus, quandoquidem æque sit impossibile ut agendo adversetur illis, quam ut his se spoliet privetque. Neque minus

L con-

contradictorium est supponere, illum quid velle justitiæ, bonitati & veritati inconveniens; quam supponere eum infinitate sua potentia & existentia privatum iri. Unum, immediate adversatur absolutæ necessitati suæ naturæ, alterum immutabili rectitudini suæ voluntatis; unum est contradictio in terminis; alterum quoque respectu perfectionum divinarum contradictio est expressa. Unum affirmare est, & dicere aliquid absolute existere cum eodem tempore omnino non existit; alterum vero asserere est, & dicere cognitionem infinitam posse agere ignoranter, potentiam infinitam debiliter, aut denique bonitatem & sapientiam infinitam posse ea agere quæ neque bene neque sapienter facienda sunt. Quæ omnia æque ingentes & manifestæ sunt absurditates. Hæc quemadmodum divinorum Attributorum moralium explicatio valde est intelligibilis, menti satisfaciens sine ulla idearum perplexa complicatione, potuimus quidem uno verbo (quod res est) dicere justitiam, bonitatem omniaque alia moralia Dei attributa naturæ suæ ita esse essentialia, quam infinitas, æternitas, hisque similia naturalia attributa; sed homines

nes impii, omnes posteaquam sint convicti, necessario existere in universo ens aliquod æternum, necessarium, infinitum & omnipotens; adhuc mira pertinacia contendent se nullum percipere nexum bonitatem, justitiam aliaque moralia ejus attributa cum perfectionibus suis naturalibus copulantem; quamobrem dedi operam moralia ejus attributa particulari deductione demonstrare hac methodo quam sequuti sumus hactenus.

II. Hinc sequitur quamvis Deus sit Agens liberrimum, tamen non potest non agere semper, quod actu optimum & respectu totius sapientissimum. Cujus rei ratio manifesta, perfecta quoniam sapientia & bonitas, tam certa sunt & firma agendi principia, quam ipsa necessitas: Ens etenim infinite sapiens & bonum perfectissima libertate præditum, non magis eligere potest contra sapientiam & bonitatem agere, quam ens necessarium contra necessitatem per quam agitur posset agere: æque est absurdum respectu *electionis* ut infinita sapientia & bonitas eligat insipienter aut male agere, quam in *natura*, ut absoluta necessitas non necessario effecta sua producat. Nullam fateor fuisse necessitatem in *natura rerum*

ut Deus talia entia quæ creata sunt, velut ulla omnino crearet, utpote in se sibi sufficiens & beatus: nulla itidem in natura necessitas, ut res creatas conservaret, quia sine earum conservatione æque sibi sufficiens esset, quam ante creationem illarum fuit. Sed æquum & bonum erat ut infinita sapientia se apperiat & manifestet & infinita bonitas se communicet. Ptopterea in hoc sensu necessitati, & ut res tali tempore crearentur & postea continuarentur in sua existentia variisque donis & perfectionibus tali gradu, quemadmodum infinitæ bonitati & sapientiæ videbatur illis optime convenire, omnino necessitas erat. Quando & quamdiu res existunt eædem, perfectiones morales absolute postulant, ut disponantur & dirigantur res omnes juxta exactissimas & immutabiles æternæ justitiæ, bonitatis & veritatis leges. Qnamdiu enim res & relationes suæ existunt, non possunt non esse tales, quales sunt: Et ens infinite sapiens omnes relationes hasce optime cognoscens esse tales quales sunt, & judicans perfectissime, de earum varia aptitudine vel ineptitudine, & ens infinite bo-

num

num non poteſt non eligi ſecundum iſtam convenientiæ rerum diverſæ, vel inconvenientiæ notitiam, conſtanter agere. Ita enim imposſibile eſt,ut tale ens liberum,quod neque corrumpi, neque decipi poteſt, eligat transgrediendo has leges, ſuas perfectiones deſtruere, quam ut *exiſtentia* neceſſaria deſtruat ſe ipſam.

III. Hinc ſequitur quod Deus, quantumvis perfectisſime liberrimus, & infinite potens non poteſt tamen malum quid committere, hujus rei ratio manifeſta eſt; quemadmodum etenim infinita potentia non ſe extendit ad naturales contradictiones, quæ annihilationem ipſius potentiæ, a qua produci putantur, neceſſario implicant; pari modo neque extendit ſe ad contradictiones morales, quæ implicant quoque nonnullorum attriburorum ad eſſentiam divinam æque neceſſario quam ipſa potentia pertinentium everſionem totalem. Jamjam oſtendimus juſtitiam, bonitatem & veritatem divinæ naturæ, æque eſſe neceſſarias, quam potentiam, intellectum & rerum notitiam eſſe ſupponitur. Ergo ita eſt imposſibile & contradictorium ſupponere quod ſua vo-

luntas eligat contra justitiam, bonitatem & veritatem quid agat, quam ut ejus potentia posset quid agere quod inconsistens esset cum potentia. Nihil detrahimus a potentia, dicendo eam non posse ea producere quæ non sunt ex numero suorum objectorum, & similiter neque quicquam potentia aut libertas diminuitur si talem immutabilem voluntatis rectitudinem habeat ut non possit eligere, aut contra hanc rectitudinem aliquid agere.

IV. Consequens ex dictis est, proprie loquendo, libertatem non esse imperfectionem, sed perfectionem, quippe quæ in Deo ipso quam maxime viget, omnis enim actio quæ exercet ullum ex attributis suis moralibus, bonitatem puta, justitiam, aut veritatem, a libertate maxima & arbitrio procedens, absque qua bonitas non esset bonitas, justitia atque veritas quoque non haberentur excellentiæ vel perfectiones; hæ omnes enim notione & natura ab omni necessitate quam maxime abhorrent. Docuerunt quidem nonnulli libertatem utpote ansam omnibus malis & ærumnis præbentem imperfectionem esse maximam, sed si emen-

emendate voluerimus loqui, non libertas, sed ejus abusus multis nos exponit incommodis. Verum quoque est, libertas capaces peccandi nos reddit, & consequenter miseriæ obnoxios, quorum nullæ nos sine libertate affici possemus. Sed qui vocaverit omne id imperfectionem, cujus abusu, natura redditur infelicior, quam si Deus illo dono nunquam instruxisset, dicendum illi quoque est, saxum esse creaturam homine multo feliciorem, utpote miseriæ incapacem, quemadmodum homines esse comperimus. Neque dissimiliter, affirmare licet, rationem & intellectum, & unamquamque perfectionem aliam, imo ipsam existentiam probaveris esse imperfectiones, absque qua etenim nulla creatura esset misera. Sed dicamus quod res est libertatis abusus, vel ejus rei depravatio, sine qua felix creatura nulla esse potest, est causa una & sola miseriæ; sed libertas in se spectata, est magna perfectio, & quanto ulla creatura perfectior, tanto libertas sua quoque perfectior, & perfectissima omnium libertas, est ea quæ neque ab ignorantia, fraude, aut corruptione

qualicunque ab electione proprii objecti, nimirum summi boni, ullo pacto, distrahi possit.

V. Insuper sequitur ex hactenus allatis, quod etiam si loquendo stricte philosophice nulla detur creatura inpeccabilis; attamen satis percipietur, quomodo Deus creaturas nonnullas quas his eminentissimis donis dignas judicat, in eo statu cognitionis & communionis intimæ cum se ipso, ut bonitas atque sanctitas ita illis appareant perpulchræ & amabiles & ibidem templationibus & corruptionibus longissime amotis ut sit prorsus impossibile nihil obstante naturali voluntatis voluntate, ut seducantur ab immutabili illa beatitudine in perpetua & æterna electione & fruitione summi boni, & talis est Angelorum bonorum & sanctorum in cœlis.

Denique hinc sequitur, hoc esse fundamentum & basin, omnium æternarum vel moralium obligationum, nimirum necessarias & æternas differentes *rationes*, quas res diversæ erga se invicem ferunt ut supra, necnon illa consequens convenientia vel inconvenientia, in applicandis rebus diversis vel

vel relationibus diversis ad se invicem, necessario oriens ex rerum ipsarum differentia; hæ rationes (quod supra monuimus) quæ voluntatem divinam determinant necessario, debent quoque omnium subordinatarum rerum voluntatem determinare. Et quando hoc non fit, illæ creaturæ utpote voluntatem propriam opponentes naturæ & rerum indoli, conantur quantum in se est, ut res id sint, quod nec sunt, nec esse possunt: quo nihil temerarius aut insolentius esse potest, agunt quippe contra suam rationem & cognitionem, conantes istum ordinem quo subsistit universum evertere, & consequenter rerum omnium conditori, summam afferunt injuriam, qui & ipse juxta hasce normas omnes suas actiones dirigit, atque postulat ut omnes creaturæ rationales idem jugiter faciant. Illi qui omnes obligationes morales, ultimum, in voluntatem Dei resolvunt, eodem tandem recurrant, necesse est, (cum hac tamen differentia) quod illi non satis perspicue docere videntur, quomodo natura & voluntas Dei debet esse necessario bona atque justa, quod nos præstare insudavimus.

Illi vero qui omnes morales obligationes legibus inniti volunt, in societatis civilis utilitates conditis, opinionem profecto fovent (præterea quod jam satis probata ex iis est, quæ diximus de differentiis rerum æternis) ita sibi minus constantem & contra dictoriam, ut miremur valde, hanc opinionem non magis fuisse animadversam, nam si nulla erat differentia inter bonum & malum prius quam essent ullæ leges conditæ nulla profecto erit ratio quare omnino ullæ ferrentur leges, cum res omnes natura sua secundum illos sint indifferentes. Dicere leges conferre in bonum humani generis (i. e.) ad conservationem & perfectionem naturæ humanæ; quod propterea sapientes necessario putant sanciri legibus, si hæc, utique est ratio, quare nonnulla a sapientibus sanciantur legibus, nimirum quia ad bonum & utilitatem humani generis tendit & conducit. Manifestum ea fuisse bona & utilia priusquam de illis observandis sancirentur leges: aliter, si antecedenter ad omnes leges non essent bona, patet nullam dari rationem, quare tales conderentur leges & non potius illis contrariæ,

quo

quo nihil absurdius aut magis inconditum excogitari potest.

Ex omnibus hactenus dictis, de hoc argumento, speramus in genere, manifestissimam esse existentiam & attributa Dei cuique homini sapienti & cordato, justissimae demonstrationis atque probationis esse capacia, & quod Dei & religionis hostes nullam habent rationem impietati suae faventem (cui videri gestiunt praecipue inhaerere) sed vanam confidentiam & temerariam, cum maxime coecitate & praejudicio conjunctam; cum illi id putare cupiunt, Deum in Universi aedificio nullum prorsus suae existentiae & perfectionum suarum testem, sed contra omnia argumenta a natura rerum hausta plane favere Atheismo & impietati. Sunt nonnulli (quod novimus) qui harum rerum parum aut nihil satagunt, existimantes hasce res captum nostrum longe transcendere, & nos andabatorum more de rebus plane ignotis disputare, sed quandoquidem omnes Athei magis, praecipui, qui unquam hactenus insudaverunt ad destruenda prima fundamenta religionis hac methodo illos uti novimus; aequum

duxi-

duximus & necessarium eadem incedere via, ut suis armis cum illis confligemus, cum certo certius sit nullum esse argumentum in erroris auxilium & falsi allatum, quod non tanto melius atque efficacius in descensionem veritatis urgeri possit.


II. Insuper ex supra dictis videre licet, quomodo usu venit, ut etiamsi nihil plane existentiæ atque attributis Dei nec non consequentiis inde deductis verius aut clarius esse possit, nihilominus tamen homines qui nunquam consuluerunt evidentiam rationis, aut istas notitias quas nobis de se ipso dedit Deus, utrius magna ex parte possunt esse ignari, tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis, ita est manifestum, ut si quis contrarium affirmare ausus fuerit, nullo labore illum contradictionis reum mox demonstrabitur: attamen qui ad hoc considerandum mentis aciem nunquam intenderunt, hujus multarumque veritatum Mathematicarum aliarum, manebunt in perpetuum ignorantissimi. Verum enim vero notitiæ quas de se ipso edidit Deus, tot sunt atque ita palpabiles & omnibus obviæ, in constitutione, ordine, pulchri-

christitudine & harmonia diversarum partium universi; in structura quoque nostrorum corporum, nec non in mirabilibus animæ potentiis atque facultatibus, in ipsa necessariis & inevitabilibus propriæ mentis perceptionibus & communi & magna omnium hominum consensione in omnibus; in nobis intus & quæ exterius sunt; ut nullus quantumvis mediocri capacitate intellectus & viribus ingenii dotatus, qui vel perfunctorie&in transitu appulerit animum adconsiderandam rationem & naturam rerum, possint ignorare Deum, quin quoque sit prorsus inexcusabilis, potest quidem usu venire, ut argumenta nimium subtilia atque metaphysica ad demonstrandam Dei existentiam & sua attributa vulgo adhibita, plane comprehendere neque ab istis affici non queat, etiamsi vel maxime velit; sed & eadem de causa æquum est, ut ne se patiatur abripi ab objectiunculis atque argutiis scepticorum atque Atheorum, quia nihil habeat forte quod possit reponere, sed debet necessario illis veritatibus illi optime notis inniti, de quibus & ipse judicare potest, quæ abunde subjiciunt viro cui-

cuique cordato, ad praxin & vitæ tenorem, ſapienter & rite moderandam.

IV. Sed Deus non eo contentus, ut notitiis jam recenſitis ſimus inſtructi, inſuper revelatione clara & expreſſa de ſeipſo coelitus dimiſſa mediante ſuo Filio Domino & Redemptoru noſtro, ad omnium capacitatem mire accommodata, jam tandem ſilentium ignorantiæ ineptorum, nec non vanitati ſcepticorum & impiorum hominum, & declarando ille ipſe nobis ſuam naturam & attributa, omnes errores impedivit, quibus aut propter debilitatem ingenii aut propter defectum applicationis, vel naturæ corruptionem, aut denique propter vaſrorum hominum ſophiſmata facile eramus oboxii, & hoc modo abunde nos notitia inſtruxit ut in hac vita rite omnibus quibuscunque fungamur officiis atque in altera felicitatem conſequamur, & ea fruamur in perpetuum. Sed hæc transgrediuntur inſtituti noſtri limites & ſeparato diſcurſu digniſſima ſunt.

F I N I S.






Badia
Cava

